


IOANNIS

PASSERATII,

ELOQVENTIÆ PROFESSORIS, ET

Interpretis Regij, Orationes & Præfationes.



PARISIIS,


Apud M. HENAVLT, in vico Clopiniano, prope Gymnasium Becodianum; & in Officina sua ad Pontem nouum, è regione Samaritanæ.

M. DC. XXXVII.

NOBILISSIMO ET
ILLVSTRISSIMO VIRO D. D.
IOANNI IACOBO MEMMIO,
Domino de Roissy, Consistoriano Comiti, &c.







Cce tuus iterum tibi rediuiuus sistitur PASSERATIVS, (Vir Nobilißime,) qui dum lucem ijs, quas olim Professor regius in Schola regia Præfationes habuit, nouam exoptat, Numinis tui solitũ fauorem supplex, quantùm gratis aliàs obsequijs, tantùm humilibus nunc per me precibus implorat. Vrget quippe huius seculi acrior & iniqua Zoïlorum mordacitas, cui si ob-

ſtiterit tua ſingularis & nemini non laudata virtus, non erit cur huius temporis conuitia, plùs quàm elapſi furias, contremiſcat. Id à te dum ſpero, (Vir Illuſtriſsime,) hæc PASSERATII tui opuſcula typis iterum excudenda mandaui; cùm ad id & hortarentur & ſuaderent viri inter doctiſsimos huius ætatis non minoris literaturæ, ea potiſsimùm adducti ratione, vt ex ijs vberiorē fructum decerperent ſtudioſi, neque diutius tantâ eruditionis ſupellectile priuata careret literaria reſpublica. Et ſanè quem bonorum qualiſcumq; non inceſſat dolor, ſi aliquando lucubrationes huius artificis Cimmeria obliuio inuolueret? qui nullum in ea re priorem habuit, nec ſecundum eſt

habiturus: aut si è manibus docto-rum hominum paulatim elaberentur; atque ijs anteferrentur nonnullorum partus abortiui, qui magno conatu magnas sæpe nugas agunt; & quorum præcipua laus & virtus est, vt sapiant ex indicibus. Cæterùm mihi diutiùs non est, nec etiam hæredum fuit, cuinam nouam hanc editionem, sumptibus susceptam & absolutam meis, nuncuparem. Tu (maxime virorum) vnus omnibus visuses mihi anteponendus; duplici præsertim nomine, tum maximè Authoris ipsius ratione, quem summo amore, nec vulgari beneuolentia, in ea qua versabatur grauißima temporum difficultate, tuo sinu exceptum humanißimè, quoad vixit, fo-

uisti; quémque liberali facultatum tuarum profusione tibi æternùm deuinxisti: tum etiam ratione mei, tua debuit esse hæc Editio; qui, cùm jampridem non pauca tibi debeam, ero in posterum plura debiturus, si, qua soles exteros, eâ & mente & beneuolentia familiarem PASSERATIVM rursus exceperis: hinc etiã futurum est, vt ampliori studio me tibi donem, dicem, consecrem.

Tuus ære & libra MATHVRINVS HENAVLT, Bibliopola Parisiensis.

Lutetiæ Parisiorum vj. Eidus Maij, M. DC. XXXVII.



EPISTOLA PRIORIS EDITIONIS, QVÆ FVIT ANNO 1606.

AD VIRVM CLARISSIMVM D. D. MAXIMILIANVM Rosnium de Bethuna, omni Armamentario Ærarióq; Gallico Præfectum, & apud Pictones Pro-regem.



FFERO tibi (Dux præstantissime) *alienæ liberalitatis munus, Patrui quondam mei* μακαρίτου *Passeratij Orationes in exorsu variorũ Auctorum habitas. Hoc tibi deberi munusculum, & Auditorij Regij parietes, & tua in eius Manes munificentia conclamant. Tu enim solus es à multis annis, qui loco huic & collegio splendorem addidisti, & patrui mei sepultos cineres debitis velut inferiis cumulasti. Dum itaq; eiusdẽ PASSERATII, grauioris & lõgioris spiritus ac opera peruigilias colligo, honorato tuo nomini meritò desponsas ac destinatas: patere interim, quæso, vt hæc eiusdem posthuma proles te veneretur ac salutet; & quam prodeundi in publicum libertatem nunquam à pa-*

rente suo viuo potuit sperare, à te legitimo patrono & pio manumissore, velut Orcinus libertus, recipiat.


Tibi in æternum addictissimus
I. de ROVGEVALET, IO. PASSERATII
nepos.
Pridie Calend. Februarij, 1606.

CLARISSIMO ET NOBILISSIMO VIRO D.D. CAROLO GVILLEMEAV, Regis Christianissimi Consiliario, & Medico ordinario, & Facultatis Medicæ Parisiensis ex-Decano, G. P. B. S. P. D.



FFERO tibi delicias tuas, (*Vir Clarissime*,) nimirũ IOANNIS PASSERATII τοῦ μακαρίτου Epistolas & Præfationes; imò PASSERATIVM ipsum, in arte sua planè Roscium, tuæ virtuti debitum, gratissima mentis veneratione offero atq; appẽdo: Tuum, inquam, an potiùs bonorum omnium? qui justi rerum æstimatores, nec transuersa tuentibus hirquis, magnorum virorum monumenta in æternum victura, ardentiore animi studio amplectuntur? E quibus sanè quamplurimi postquam politioribus Musis suam dicârunt operam, fermè necquidquam, (vel seueriore

Cenſorum, queis ῥᾷον μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι, iudice,) hoc opere præſtantius, hoc Orationum ſuauius, hoc Præfationum mónimento elegantius exiſtimant. Vnde facilè conijcias quãta cum iniuria, quàm immeritò, id opus denſiori obliuionis & tenebrarum caligini immerſum ſepeliretur, quam noſtro periculo vidẽtur in regnum literarium ſubinducere nebulones quidam, qui optima quæque vel damnant iniqui, vel euirant inuidi, vt abortiua nobis obtrudant ſua: quique ſuis hinc & inde emendicatis laboribus, & inuiſo puluere collectis atque conſutis centonibus, nihil aliud, quàm meram cum Lauernæ ſacris impolitiam & horridam barbariem afferunt. Ne verò malè recoctum olus quod ajunt, faſtidioſo præſertim huius ſeculi palato obijcerem; vtque in poſterum fieret optimi Scriptorum illuſtrior memoria; placuit operis fronti, in partes diſtracta varias doctorum virorum Elogia huc adſcribenda transferre: quæ eo præſertim nomine tibi offero, vt PASSERATIVM, méque ipſum, quem iamdudum ~~nota~~ amore singulari foues, deinceps amare pergas: Operis argumentum & à ſe, & ab Auctore, ſatis apud Te obtinet commendationis: Offerendi ratio, ſi Te ſpectes, multùm habet æquiſſimæ; ſi me, plurimùm officioſæ, neceſſitudinis. Vale.



ELOGIA VIRORVM ERVDITORVM DE IOANNE PASSERATIO Trecenſi, regio Eloquentiæ Profeſſore Lutetiæ Pariſiorum, ex eorum ſcriptis excerpta.

IACOBVS AVGVSTVS THVANVS, Vir clariſſimus, tomo v. Hiſtoriarum ſui temporis, lib. CXXVII.



OMMEMORABITVR de noſtris Ioannes Paſſeratius, Auguſtâ Tricaſſium natus, Latinæ linguæ Profeſſor digniſſimus, qui felicitate verſus pangendi, etiam Gallicos, & ſoluta oratione ſcribendi, ac bonos ſcriptores interpretandi, diu magnam laudem in Pariſienſi Academia meruit. Homo emunctæ naris, & cui aliena vix placerent, vltimo Elogio vouit, ne manes ſui malis carminibus onerarentur: itaque pauci mortuum laudarunt, dum verentur ne voto eius minùs reſpondeant. Obijt menſe Septembri, anni 1602.

ſenio effœtus, amiſſa oculorum luce, & iam fatiſcente ingenio, cum vel vitæ cupidiſſimi viuere velle deſinunt.

SCÆVOLA SAMMARTHANVS,
Elogiorum libro 4.



Ic eſt ille PASSERATIVS origine Trecēſis, vtraq; lingua doctiſſimus, qui primus apud Pariſios in ſchola Regia reconditas veræ Latinitatis opes aliquantò maiore cura & ſtudio perueſtigauit, iuuentutíque aperuit; cùm Turnebus, Auratus, Lambinus, cæteríque prius in eadem ſchola profeſſi, Græcis potiſſimùm interpretandis operam & induſtriam impendiſſent. Poterat quidem ex vmbra & ſcholaſtico otio in apertam fori lucem prodire, & ad rerum adminiſtrationem ſe conferre: nec enim ei deerant opportuna ciuilis diſciplinæ præſidia, cujus puros limpidóſque fontes apud Biturigas à diuturna Iacobi Cuiacij conſuetudine affatim hauſerat & imbiberat. Sed Petro Ramo eloquentiæ Doctori delectus à Rege ſucceſſor, in ea demum profeſſione conſenuit, nobilémque doctrinæ ſuæ famam vel apud remotiſſimas orbis terræ nationes longè latéque

propagauit: cùm nihil vulgare, nihil tritum, nihil è medio sumptum afferret, obídque politissimi quique homines, etiam ex ipso Senatu, celebre eius auditorium frequentarent; ac velut ex nitidis & fragrantibus eius hortulis lectissimos Romanæ elegantiæ flores admirabili cum voluptate excerperent. Fuit altero captus oculo, faciéque rubore suffusa, quæ triste nescio quid ac seuerum pręse ferret; sed eius ingenio nihil erat amœnius, nihil sermone facetius, nihil vsu & congressione jucundius, qua singulari morum suauitate incredibiles sui amores in mentibus hominum excitabat. Adeo quidem, vt ab Henrico Memmio viro clarissimo in amicitiam & familiam semel acceptus, ad ipsos vndetriginta annos apud eum in summa animorum & studiorum conjunctione vixerit. Extant huius gratissimi conuictûs & otij testes multi lusus, variáque non vulgaris argumenti poëmatia, quibus ineunte Ianuario solebat quotannis patronum illum salutare, & quæsitis ex tam pretiosa Musarum supellectile muneribus magis ac magis demereri. Atque vtinam quæ in Ciceronem, Plautum, & alios linguæ Latinæ præcipuos auctores accuratè ac diligenter adnotauit, aliquãdo quoque prodeant, nec diutiùs in tenebris magno studiosorum incommodo sepulta delitescant. Ob hæc merita

dignum illum iudicauimus, qui tot inter eximios bonarum literarum proceres locum hîc suum tueretur, atque adeò agmen ipsum iure quodam suo clauderet. His enim extremis rei literariæ temporibus, nisi Scaligeri, Lipsij, Casauboni, Fabri, cum alijs paucissimis, adhuc superfint, quis vltimum politioris literaturæ decus in huius tanti viri morte concidisse non fateatur? Perijt ex paralysi tres & septuaginta natus annos pridie Eidus Septembr. anno millesimo sexcentesimo secundo, cùm ad integrum penè quinquennium lecto miserè afflictus in maxima ægritudine & molestia iacuisset, eò tamen constantis animi vigore, vt etiam inter vltima suspiria hoc sibi ipse Epitaphium pro solita iocandi libertate concinnaret:

Hîc situs in parua Ianus Passertius vrna,
Ausonij doctor regius eloquij.
Discipuli memores tumulo date serta magistri,
Vt vario florum munere vernet humus.
Hoc culta officio mea molliter ossa quiescent,
Sint modò carminibus non onerata malis.


Sepultus est in Dominici fano ad Iacobæam portam, vbi Io. Iacobus Memmius Henrici filius V.C. libellorum in regia Magister, vti veteris in clientem beneuolentiæ pius hæres, marmoream ei statuam collocauit.

IVLIVS CÆSAR BVLENGERVS,
Hiſtoriarum ſui temporis libro XI.



XEVNTE anno Pariſijs Ioannes Paſſeratius, Tricaſſibus ortus, Romanæ Eloquentiæ regius Profeſſor vitâ exceſſit, vir carminis Latinâ & vernaculâ linguâ ſcribendi ſummus; reſtituendis, ac repurgandis veterum auctorum ſcriptis felix; Latinæ integritatis in eloquendo, ſi quis alius retinens, oratione acutus, & terſus, qui Cæcitatem, in quam aliquot ante obitum annis inciderat, eleganti laudatione conſolatus eſt.

EMVNDVS RICHERIVS,
Doctor Theologus Pariſienſis, & Socius atque Syndicus Sorbonicus, in aureo ſuo libello, nim. *Obſtetrice Animorum.*



VAM in cogitationem ſi nonnulli deſcenderent, ſéque homines eſſe recordarentur, Socratis potius, Turnebi, Lipſij, Paſſeratij modeſtiam incomparabilem, quàm Momi liuorem, & caninam facundiam ſibi æmulandam proponerent: neque maximam temporis partem ſibi ad do-

cendum, dicendúmue præſtitutam, in vellicandis aut remordendis aliorum ſcriptis, ſed in munere ſuo rectè & fideliter adimplendo reponerent: quæ maledicendi conſuetudo, oſtendit illos valde otio abundare, vt idem dicebat Paſſeratius, cùm ab eo quærerem, quidni etiam aliorum ſcripta lancinaret? Dij meliora, inquit, non mihi tantum eſt otij, vt à ſcopo & docendi prouincia tantopere aberrem.

IOANNIS PASSERATII,
Regij Profeſſoris Elogium,
PAPYRIO MASSONO
Auctore.



PVD Trecaſſinam Campaniæ vrbem, quæ Sequanâ fluuio interluitur, Ioannes Paſſeratius die feſto D. Lucæ natus eſt, anno à partu Virginis ſupra mille quingentos triceſimo quarto. Pater eius Pantaleo litteras multùm amabat, iuueníſque & admodum ſenex earum radices coluit, pérque varias orbis regiones diu vagatus, vxorem duxit Nicoleam Thienotiam, in eodem municipio ortam, ex qua prognatus Ioannes, qui perſpicacis ingenij, atque in ſtudijs doctrinæ, noti, celebratíque nominis fuit. Si enim illum dixero omnibus fermè Grammaticis & Rhetoribus

ætati,

suę fuisse clariorem; síque addidero vltimum Romanorum apud nos obiisse, verissimè, vt opinor, sensisse debeo videri. Maternum auunculũ habebat, flaminem, seu Canonicũ D. Petri Tricassium; qui sororis suæ filium, vbi infantię annos excessit, ad scholam municipij cum pędagogo Laurentio Acaria Presbytero deduci quotidie curabat; sed fortè euenit, vt, propter Orbilij nescio cuius sęuitiam duriùs habitus quàm oportuit, ex fuga in agrum Biturigum trans Ligerim flumẽ, abierit, habueritque Dominos, quos fortuna puero dedit, in his ferrariæ magistrum; (ferrarias enim Cæsar in Biturigibus frequentes esse ait), apud eum magna voluptate piscari didicit, semper recolens quæcumque ad id tempus didicisset. Inde Sacrum Cęsaris oppidũ in altissimo & vitibus vndique consito felicissimis totius regionis profectus, Religioso cuidam seruiit è Monasterio Satyri, vnde subiectum Ligerim videre & remotissimos agros oppidáque & vicos intueri licebat. Ibi cùm tres quatuórve menses fuisset, subiit patriæ dulcis recordatio, reuersúsque est Tricassium, & apud auũculum sistitur, qui veniâ illi humaniter concessâ, in Collegio vrbis suæ triennio alimenta præbuit.

Quo spatio temporis elapso, Lutetiam mittitur, & Classicus Collegij Remensis fuit, do-

ē

cente tunc Rochonio, quem Medicinæ facultas extulit. Iterum in patriam reuertitur docendi causâ, promouente Lescotio, viro Latinâ facundiâ nobili: Necnon multò pòst, rogantibus eum Plæsseis, vt Lutetiam ad se docendi causâ venire dignaretur, Passeratium secum adduxit, illéque primo ordini præfuit, hic secundum rexit; ac tum legendo optimos quosque ex Latinis Græcísque scriptoribus, ex ijs magno labore indices seu tabulas contexuit, in quibus quid quæq; vox Latina significaret, adhibito acri iudicio complexus est; vnde factum vt in posterum in ea lingua nihil ignoraret. Postea in Collegio Ioannis Monachi docuit: (*Hodie Cardinalitium dicitur, cui nuper praerat M. Emundus Richer, Doctor Sorbonicus, vir omni laude maior*:) vbi M. Antonius Muretus Româ recens reuersus, illum vltrò adiit, multúmque cum eo contulit. Cæterùm, grauissima lues eum ad fugam compulit, Milliacum (*Millyen Gastinois; alij dicunt Milliodunum*:) itaq; oppidulum agri Vastinēsis in Lugdunensi via positum se recepit. Cessante morbo apud Becodianos collegas tanta celebritate professus est, quanta vllus sui temporis. Commentarios Cæsaris explicabat, habebátque auditores inter cæteros, Rambulianæ nobilis familiæ proceres, Petrum Ronsardum, & Ioan-

nem Bayfium, Lazari filium, eximios Poëtas, Græca Latináque facundia celebres. At fine Iuris Ciuilis fciẽtia fentiens Latinos fcriptores planè intelligi non poffe, Auaricum vrbem Biturigum ab amne fic dictam, cum Alphonfo Delbenio, nunc Albienfi Epifcopo, fe contulit, famâ Cujacij antecefforis illuc alliciente: etenim, vt memoriȩ mandatum eft, Seruium Sulpitium virum ȩtate fua doctiffimum fuiffe, ita hic præter alios excellẽs exiftimari jure debuit. Igitur, cum illo præftantiffimo viro difcendi caufa triennium verfatus, reuerfus eft in patriã, atque inde Spernacum Campaniæ oppidum; deligitur ab oppidanis cum aliquot alijs, vt Hẽricum Borbonium Condenfem infeftis fignis ad obfidionẽ (vt videbatur) properantem, precibus ab eo conatu auerteret, atque ita euenit. Luteriam iterum redijt, ac Titulum de Rerum & Verborum fignificatione interpretari cœpit multis grauibus viris ad portam Victorianam, vbi auditorium eius erat, fponte cõfluentibus; vnde notitia illi celebrium virorum quȩfita eft; maximè Henrici Memmij, qui tum authoritate & gratia multùm poterat; ífque effecit, vt Pafferatius fecum habitaret, quòd laxas & amœnas ædes haberet. Petrus Ramus Profeffor eloquentiæ fuerat, ftipendiifque regis honorificè fubnixus docuerat; quo mortuo, anno 1572.

In cæde San-Bartholomæana, Pafferatius eodem honore & præmio affectus eft, commendatione eius, de quo diximus, Memmij Mœcenatis. Tunc magis quàm vnquam anteà, fcientia eius, & apud noftrates, & apud exteros, enituit, confluentibus ad eum egregijs viris, magiftratibus vrbis, plurimifque è vicina Germania adolefcentibus, folitis excipere ab eius ore profluentia præcepta Eloquentiæ. A noftris quoque Regibus Carolo 9. & Henrico 3. amabatur; illi quidem venationis cupidiffimo, libellum *de arte Venandi*, Gallico verfu fcriptum obtulit, quem amici Ronfardus, Bellaïus, Baïfius, Pimpõtiúfque & alij Poëtæ noftrates, magnopere probarunt. Latinus quoque Poëta fuit eximius, vt oftendunt 25. Poëmatia eius iam excufa, quorum quinque ad Memmium fcripfit; Henrici verò 3. elogium edidit, veteribus conferendum; verùm dira paralyfi quinquennio ante mortem fuit vexatus, quæ dimidiam corporis partem, excepto capite, illi extinxit. Morbum quidem patientiffimè tulit, nec vnquam ingemuit eum fibi cafum à cælitibus immiffum; tandem 68. ætatis anno deceffit Lutetiæ Parifiorum, 18. Cal. Oct. anno à partu Virginis fexcentefimo fecundo, inque Dominicano tẽplo fepultus iacet. Firmo corpore fuit, ftatura mediocri, vultu multo rubore perfufo;

vnius oculi vſum amiſit, in luſu pilæ, globi volitantis ictu percuſſus. Interdum ab Aurora vſque ad multam noctem ſtuduit, immemor cibi & potus. Quod bonum rectúmque erat libenter amplectebatur, æquitatem magnifaciens; & ſi quando perturbationibus à vero abducebatur, bene monenti amico è veſtigio credebat, Comici vocem illam ſæpe repetens, *Mutor veris*. Memoria & iudicio incredibili erat, ſemper aliquid noui in lectulo cogitans, excipientéque ſororis filio ſtatim dictans, & poëmatia fere pia ſub mortem ſcribens, quin viuens ipſe ſibi Elogium funebréſque titulos fecit in hanc ſententiam; *Hic ſitus eſt*, &c.

Hoc IOANNIS PASSERATII Elogium à PAP. MASSONO exaratum, huc inſerendum accepi à M. CLAVDIO BELIN, Trecenſi, Doctore Medico eruditiſſimo, & amico ſingulari.

STEPHANVS PASCHASIVS,
Aduocatus regius in Camera Computorum Pariſienſi, lib. 2. Epigrammatum.

QVàm luſit bene paſſerem Catullus,
Tam Paſſertius elegans Catullum:
Omnis viuit in hoc, in hoc quieſcit,
Hunc voluit, legit, explicátque chartis

Tam doctè & lepidè laboriosis,
Quàm doctum & lepidum ferunt Catullum,
Et ludit numeris Catullianis,
Et tam molliter vt Catullus ipse:
Credas denique passerem Catulli,
Vel quid passere mollius Catulli.

Idem ad Ianum Passeratium.

QVid nihil ex nihilo stulti contenditis? ecce
Ipse vnus fieri quid ratione probo.
Tam lepidè nihilum, Passerti, carmine ludis,
Grande vt de nihilo feceris inde aliquid.

Le mesme ESTIENNE PASQVIER, *en ses Recherches de la France, liure 7.*

IEAN PASSERAT, homme duquel on ne sçauroit assez honorer les vers, soiẽt Latins, ou François, quand il en a voulu faire, fit vne Ode en vers Saphiques, qui est telle.

On demande en vain que la serue raison, &c.

Et certes si ces deux beaux esprits, i'entends RAPIN & PASSERAT, eussent entrepris cette querelle, tout ainsi comme fit BAIF, ils en fussent venus à chef.

NICOLAVS RAPINVS, Delictorum Militarium olim in Gallia Tribunus, libro 2. Epigrammatum.
In obitum Ioannis Passeratij.

Nos qui Passeratum plures iam vidimus annos
Dimidia viuum vix bene parte sui:
Non illum vere dicemus mortuum, amici:
Dicamus potiùs, desijt ille mori.

IOSEPHVS SCALIGER, Vir illustris, & vndiquaque nobilissimus, lib. 4. Epistolarum, ad Carolvm Labbævm.

Accepi Passeratii libellum magis nobis vtilem, quàm auctori gloriosum. Rari erunt, qui eo sciant vti. Nos quanti sit, ex eo æstimare possumus, quòd paucorum hominum est; & plures habebit, qui non capiant, quàm qui eo capiantur. Ego sanè in censum bonorum eum dedico.

GEORGIVS CRITTONIVS, Professor Regius, in Oratione de Sortibus Homericis, nostrum Passeratium sic affatur:

Sed obsita spinis & interclusa virgultis loca prætereamus: ingrediamur campum æqua-

bilem & floridum, qui tibi, cultissime literatissiméque PASSERATI, sese iam offert; & tanquã Parthiam squallidam & saxosam emensi, inuisamus irriguam amnibus Mediam, odoratos Bactrianorum colles, diffusam vestitámque pampinis Mesopotamiæ planiciem collustremus: sic enim Homericæ iubent sortes:

Χῶρον ἄν, ὑλήεντα δι' ἄκριας, ᾗ οἱ Ἀθήνη,

Regionem per frondosam, per cacumina, vbi ei Minerua.

Ex te enim si petatur, quis tibi ab ipsa pueritia præfuit Genius? quis vitæ dux? quam studiorum sectam sequi malueris? respondebis, montium cacumina ac syluas te secutum, ea quæ antiquis illis poëtis erant in delicijs adamasse: depressa compita & conualles; quas terit imperitorum vulgus, tibi fuisse semper inuisa; semper ingenium istud tuum altioris intelligentiæ cupiditate flagrasse: ingenij alis te subuectum tranasse Taurum & Caucasum, superasse Parnassum, & in iugis illis sacratorum montium Deucalionis eluuione non attactis consedisse. In hoc nemoroso ac arduo itinere inambulanti tibi Minerua sese obtulit, sapientiæ nempe dea, quæ te docuit vt quàm præclara tibi à natura data sit persona, intelligeres: quæ effecit, vt literato, quo nil dulcius, otio contentus, leuia, quæ vulgus miratur bona cõ-

temneres : vt ſtudio tuo delectatus, nil aliud quàm arborum vmbracula & fontes, quàm ruris commoda & liberas animi voluptates conſectareris. Quid enim frequentiùs tua ſonant diu deſiderata, ſed tandem aliquando doctorum theatro propoſita poëmatia, quàm fontes, lucos, & viridaria villæ Memmianæ : quæ & argumenti genere declarant hunc Homeri verſiculum diuina quadam ſorte tibi datum : & ſtyli grauitate laudis tuæ inuidos fateri cogunt, non ſine propinquiori numinis afflatu, carmen tam plenum numeroſúmque fundi potuiſſe? Iam illud quantum eſt, cùm à poëtica libertate ad oratorum ſermonem verecundiorem multò ſimpliciorémque te tranſtuleris, vt in heroïcis numeris Virgilium, ſic in concionibus & in familiari ſermone Ciceronem referre? cúmque à ſocco ad cothurnum altiùs inſurgis, ita in vtraque ſcena perſonam decenter agere, vt parem in vtráque ſpectatorum plauſum merearis: ita in diſſimillimorũ ſcriptorum lectione verſari, (quorum multis ſua ſtyli inſunt vitia) vt tamen à Tullianæ dictionis munditie nitoréque nuſquam recedas: quę auctores ipſi cacozeliis, obſoletis, peregrinis aut barbaris vocabulis inficiunt, ea tu germaniſſimus Romanæ ciuitatis ciuis purè nitidéque eloquaris ac enunties? Hæc certè duplex in vtroque orationis genere

laus, Passeratij vnius propria, facit vt dubitem, an tui similem vlla majorum ætas protulerit, vlla posterorum sit habitura. Etenim si bonos & disertos oratores singula vix ferunt, vt ille dicebat, sæcula: quàm multis sæculis parturire naturam oportebit, antequam vnum & eundem denuo pariat, in quo hæc summi oratoris laus cum summi poëtæ laude coniuncta resideat? Quàm verò multum eadem natura desudabit, quoties signiferi orbem emetiri solem oportebit, antequam alter tui similis, Monantholi, generi humano reddatur? qui, vt Passeratius eloquentiæ laudem poëtica, sic matheseos scientiam Medicinæ gloriâ cumulasti.

RODOLPHVS BOTEREIVS, in magno Franciæ Consilio Aduocatus, de rebus in Gallia & pene toto orbe gestis Commentariorum libro X.

IANVS PASSERATIVS, Romanæ facundiæ regius professor, vigiliis & æuo confectus moritur: vir cuius gloriæ, nec præconium addere, nec liuor detrahere quidquam potest. Plauti & scriptorum melioris æui interpres felix, fidus restitutor, prosa & versu, nedum Latinè, sed vernaculè elegans, vt opuscula soluta & vincta testantur. Cæcitas, quæ ex iugi lectura homini oborta est, ferias à publicis lectioni-

bus fecit; de illa luculentam orationem habuit, quæ tota oculata est, & picta floribus, quâ damnum lucis solatur. Mortui funus, non tam libitinario apparatu, quàm literatorum lugubri comitatu, conspicuum fuit. Ipse sibi hoc Epitaphium scripsit, quod marmore incisum, in æde Dominicanorum, vbi conditus, legitur:

Hîc situs, in parua Ianus Passertius vrna,
Ausonij doctor regius eloquij:
Discipuli memores, tumulo date serta magistri,
Vt vario florum munere vernet humus;
Hoc culta officio, mea molliter ossa quiescent,
Sint modò carminibus non onerata malis.
Veni, abij: sic vos venistis, abibitis omnes.

Aliud.

Miseri beatus portus hic est corporis,
Commune tectum, turbidæ vitæ quies,
Nemo vnde aberrat, cæca sit licet via,
Egreditur vnde nullus, ingressus semel,
Necessitatis lege sed potentior
Hinc Christus, inuictum vnus extulit pedem,
Ad astra functis liberum pandens iter,
Hac habito clausus æterna domu,
Vbi opes auari conditæ Ditis iacent.
Qui sim viator quæris, ipse nescio,
Qui sis futurus, tu tamen per me scies,
Ego, túque puluis, vmbra, & vmbræ somnium.

Io. Iac. Memmius, Errici fil. Ioan. Iac.
nepos, supp. libell. in Reg.
Mag. discip. Præcept. cariss. hoc
Monum. de suo fieri cur.
Obijt XVIII. KAL. OCTOBR.
Die S. Crucis, CIↃ. IↃ. CII.

IDEM BOTEREIVS
in sua Lutetia, p. 24.

A. *IPSE tua, at vereor, ne in verba nouissima peccem,*
Vmbra pia, Elysijs permixta heroïbus vmbra,
Threïcij vatis comes vmbra, & Mantuæ alumni,
Ne tua sint onerata malis qui versibus ossa
Ipse vetas, læsi, & fiam reus ipse sepulcri;
Sed tua, cui EMVNDVS *mandata suprema voluntas,*
Dat veniam, atque tuis non illætabile carmen
Manibus hocce putat, Clariæ optimus arbiter artis.
B. EMVNDVS, *quo non sermonis mũdior vllus*
Ausonij cultor, nec te magis alter adæquat
PASSERTI, *patriã vtque pares, sic mente gemelli;*
Nuper acerba virum fata inuidere Camœnis,
Argiuo Latióque virum sermone potentem,
Pulpita regalis moderantem prima cathedræ,
Ferre Caïstrini mage dignum nomen oloris,
Quàm gentile, tulisse leui de Passere nomen,

Plautinum ille sciens genium, prope solus, in omnes
Proteus ingenij formas, seu lege soluto
Arpinatem æquat, vincto aut sermone Maronem.

A. *Encomium Iani Passeratij, qui quod sibi scripsit epitaphio mala & incondita carmina à tumulo prohibuit.*
B. *Emundus Richerius testamenti curator delectus à Passeratio suo contribuli.*

FRANCISCVS PARENTIVS in Oratione de regia sua professione, habita in aula Cameracensi, anno 1595. *qua inter alia de Animæ ratione, ex Philosophorum veterum sententia, nonnulla disseruit, hæc habet de nostro* PASSERATIO, pag. 34.

IN litteris humanioribus verborúmque proprietate ac significatione euoluenda, rara illa & omni artium genere excultissima PASSERATII doctrina, quâ ille velut Phœnix, & vt Romanus alter Varro, judicio omniũ excellit.

Libuit etiam hîc, propter elegantiam verborum attexere, quod vir eruditus Iacobus Manteltus Parisiensis Medicus, de Passeratio habuit, Epistola quadam ad D. Belinum Tricassinum, doctissimum item Medicum, scripta.

ITo nunc, & mirare hanc Ætatem summa nobilium ingeniorum infrequentiâ dedecorari. Superiore, si vspiam, apud nos sanè, vige-

bant politiores litteræ: vt si quādo seu humanè collibuisset dicere, seu poeticè, Romanos veteres à nostris tantum non exæquari cōtendisses. Tibi ne Turnebum citem ad testimonium, aut Muretum? Scaligerum aut illustrē Thuanum? Passeratium nostrum sufficiet. Ita quippe Spartam ornauit vtramq;, vt vel ab ipsis Musis nihil omnino foret in eo desideratum. Ac profectò dum quæ tum prorsa tum vorsa oratione nobis ex ipso supersunt ingenij monimenta perpendō, subit exclamare,

O suauis anima! qualem te dicam bonam
Ante hac fuisse, tales cùm sint reliquiæ.

Nihil enim *Kalendis Ianuarijs* variisque aliis *Poëmatibus* scitum magis aut sanioris coloris: nec Poëtam vllum (absit inuidia verbo) sua tempestate crediderim vsquam extitisse generosioris spiritus, aut φυλλοβολίας digniorem. Quid autem *Præfationibus & Oratiunculis* elegantius? Mirum quomodo tam curiosa Latinitas reperiatur in Extero. Quibus nominibus laudis accessio fit maxima nostræ Campaniæ, quæ viro illi doctissimo cum E. Richerio & Pithœis, at quantis viris! patria fuit communis, &c.

SEBASTIANVS ROLLIARDVS,
in suis Musurgiis.



IANI

PASSERATII

NVPER ELOQVENTIÆ

PROFESSORIS ET INTER-
PRETIS REGII,

TRAIECTVS ELYSIVS:
& in eum

PARODICA MONODIA.

SIc *Erebi te Diua potens, sic præuius Hermes,*
Sic regat ipse Charon, dux irremeabilis vndæ:
O quæ Cymba grauem PASSERTI *traijcis vmbram!*
Parce precor Stygiæ salebras haurire lacunæ:
Ast saluum Elysijs hunc protinus inuehe Lucis,
Deliciasque nouem seruare memento Sororum.
Olli robur erat iuuenili in pectore triplex,
Et Marpesiaco steterant præcordia saxo:
Qui prior ingenij potuit turbare veternum,
Ac fragilem trucibus studiis committere vitam.
Lubrica nec timuit praua dispendia sortis,

Nec gelidas hyemes, rabidi non sideris æstus,
Nec simul atque nouo dulcescunt nectare fruges,
Quos trahit Autumnus cruda in vitalia morbos,
Quo melior Iudex, nec certior Arbiter vllus,
Debile cùm cerebrum tristis pituita fatigat,
Spiret ab Æoliis Boreásne vel Auster hypæthris,
Rideat an cælo Zephiritis amica sereno,
An dubios Cereri minitetur Aquarius imbres.
Sed quibus, heu! fugiat caput obiectare periclis,
Quem sacra perpetuæ firmauit adorea palmæ?
Qui siccis oculis, & nil stridente molari,
Attigerit propiùs Pindi quod limina seruat
Monstrum informe, ingens, superos cui nomen HIDROTA
Imposuisse ferunt, homines dixisse LABOREM:
Abside nec clypei præfert quos horrida Pallas,
Gorgoneæ tremuit colubros spectare Medusæ,
Imo & honore tumens, Absynthia fontis Equini
Hausit inexhaustis labiis, ita præpete cursu,
Tótque per anfractus, scopulósque, morásque viarũ,
Scándit Hyantæis habitata mapalia Nymphis.
Ergo agè necquicquam sublimi fornice vecto,
Nimbipotens Genitor terras discreuit Olympo,
Si tamen audaci mens acriter incita motu,
Fictilibus pennis volucrem se tollit in auras,
Æthereósque vago pedemate circinat orbes,
Vnde gradum referens, Clarij Triuiáque meatus,
Astrorúmque vices populis & fata recludit.

Erg.

Ergo age necquicquam Telluris limite fixo,
Multa Tridentigeri porrexit brachia Nerei;
Si tamen Argolicæ tentant caua marmora puppes,
Atque dirempta solo, ponti commercia iungunt.
Denique callidior nisi nos Deus ipse fefellit,
Incassùm, quæ sacra suo stant Orgia nutu,
Abdita frontigenæ conclusit in arce Mineruæ,
Si tamen inde prior potuit diuina Mathesis
Exercere ardentem quo cuncta penetrat ocellum,
Deinde plagas vasti cui sors describere Mundi,
Quæque scit innumeris numeros signare figuris,
Tum quâ Naturæ totus percurritur ordo,
Et graue Iudicii quæ limat acumine pondus,
Quæque serit varios vno licet ore lepôres,
Quamque iuuat rudibus cita verba notasse lituris.
Nec minùs Iapeti lúit hanc gens postera culpam,
Æternúmque luet, dum vulturis instar Apollo,
Enthea perpetibus laniabit viscera curis,
Sisyphiæ-ve cruci Musarum impinget alumnos.
Nam post sydereis carptum furnalibus ignem,
Vulgatásque artes: quæ non heu! tormina doctis?
Quos non evomuit Pandoridis arcula morbos?
Siue intèrciso rediuiuas tempore febres,
Aut quibus Vreter patitur distendia scrupis,
Quod vè per articulos, nodosáq; vincula grassans,
Cum pedibus satagit luctari immite Duellum:
Et te quæ primos (PASSERTI) *exorsa furores,*
Coclitis exiguo carefecit luminis vsu,

Ne vequid immerita cumulo decederet iræ,
Mox tibi compagem membrorum infesta resoluit.
Heu crudele nefas! vah! iniquo væiouis æstro,
Cæciter excussi tonitrus, & ab Ægide brutâ!
Heu miseræ lauri premitur queis fulmine vertex,
Et tot in-humanis obnoxia bacca Megeris!
Cùm nil tale ferânt, iacitur quibus alea pernox:
Quíque terunt olidas Phœbo indignante popinas:
Vel gula queis tumidi mēsuram abdominis implet:
Quique Nepotino luxant patrimonia sumptu,
Cypria laruatis ineunt dum festa Choreis:
Ac strepitu Cytharæ curas genialiter arcent:
Mollius vnde thoral fessis hoc desuper vnum
Adnuit, in medias somnum diffindere luces.
Tu sed enim contrà; vili, sine pulte, grabato,
Seminecesque dolens (PASSERTI) *sterneris artus:*
Ac licet haud valido nec Pæonis arte moueri,
Corpore torpentem lethargicus enecet algor,
Iámque affigat humo, quod pol sibi terra licetur:
Pars tamen illa tui melior, quæ Numen anhelat:
Parcarúmque glomos, atque irrita licia temnit,
Non lecti involucris capitur, sed libera nexu,
Emicat interdum, solitóque accensa furore,
(Fallat vt ingenti coëuntia tædia morbo)
Idalios gracili recolit modulamine versus,
Aoniásque fides, & Cynthia plectra retentat,
Donec post aliquot mutili trieteridas æui,
Totque Phlegontæis reuolutos curribus axes,

Deuolat Vraniæ solio Thaumantias Iris,
Egregij tandem languoribus icta Poëtæ:
Deuotúmque caput fatali crine repurgans,
Singultantem animam diuturno è carcere soluit.
O si digna viro pietas vos vlla remordet!
Vertite me in fluctus, resonúmque madẽtibus æquor
Elicite ex oculis, vos ô, quibus ægra liquantur
Pectora, spumosisque ruunt tenuata sub vndis:
Aut hydrias mihi ferte graues, nam talia flendo,
Vix A*ganippæus lacrymis suffecerit humor:*
Et meritò plorem, quem pulla in veste quiritat
PARRISIOS *colles crebris* A*cademia pulsans*
Questibus: heu! quíanam radios mihi Phosphore condis?
Heu! quianam remoues humerũ succollifer A*tlas?*
Heu quianã mihi chare iaces, mihi bellule PASSER?
Gentis Olor, Charitum Turtur, Venerúmque Palumbe,
Flos hominũ, lux semideûm, Mundique voluptas?
Cætera pergentem, vix tertia verba sequuntur,
Intùs at expirans pressis vox faucibus hæret:
A*ggeminant sociale modò Regalia murmur*
Pulpita, Mercuriúsque parens, Suadeláque nutrix,
Et quibus illicium rosei fauet oris Iynges:
Grex quoque mellifluo nunquam satur amne rigari.
Totum Hippocrenes obnubilat aëra luctu,
Exstinxitque faces funebre Cupidinis agmen:
Nec Thiasos Lenæus agens, comitesque Satylli,

Nec Corythigeræ per deuia tesqua Napeæ,
Ipse nec Arcadiis gemuit Pan secius antris:
Te te (PASSERTI) *quæ vallibus incidet Echo,*
Te genus alituum, queis Cælica plaustra vehuntur,
Te repetit, quodcunque nouâ sub fronde susurrat,
Interitúque tuo Natalis Dindyma TROIÆ,
More suo grauiùs Corybantas in æra lacessunt.
Fallor? an & rigido succumbere nescit Auerno,
Eumenidúm-ve pati furias, Lachesisve bipennim?
Heroum generosa phalanx, cui barbarus hostis,
Tot dedit ancipiti de marte referre triumphos?
Cuius ouans hederis amicitur brachia Pæan?
Auricomúmque caput *felix* Amarăthus *inumbrat?*
Pierium quam mulcet epos? cui nobile marmor
Transit in effigiem? cui nunquam accessa profanis
Sponte deûm propylæa patent? & calce supino
Ferreus indomiti vectis confringitur Orci?
Sic, *mortale iubar sursum leuat inclyta virtus?*
Ac *veluti solers compactis glutine pennis*
Dædalus, insolito magnum per inane volatu,
Penè *tulit faciem medias in Orionis ædes;*
Vtque lacertoso cubiti sinuamine rupit
Herculeus Phlegethonta *labos: ita spiritus ingens*
PASSERTI, *editior iam quolibet aggere laudum,*
Purior *& positâ cum face. Liberidis vrnâ,*
ELYSIVM *permensus iter, se reddidit astris!*
Nam bona quem vigili nascentem lumine vidi
Terpsichore condita mero cui Gratia philtro,

Afflauit niueos linguæ rorantis amores:
Cui cicur in totas efferbuit hepar Athenas;
Cuius & ad Tripodem stupuit cirrata Iuuentus,
Abdita cùm Latiis depromeret æra fauissis,
Aut Danaûm locuplete penu: seu fortè liberet
Nunc molles Elegos querulis tinnire Camœnis,
Comica vel tereti proscenia currere socco,
Grandibus aut furiis Tragicos aptare Cothurnos:
Hæc potuit qui cuncta virum, maiora potentem,
Scilicet imperio Libitina vadarier ausit?
Solliciti nec plena metus, hunc fallere Manes
Calliope studeat, lemurúmque reuindicet vmbris?
En faciunt ostenta fidem: vos credite vati,
Quem docuit verace patens Carmenta sigillo,
Prodidit arcani seriem cui Delphicus Idmon,
Nec celare suos voluit Dodona lebetas:
Quippe sub extremam quâ noster hic Orpheus horã
Flabat hiascenti Cycnæas gutture voces,
Et reliquus sensim vapor omnis abibat in Euros:
Fortè LVTETIACO *de vertice sueta profundum*
Percurrisse Poli stadium METEORIA *virgo,*
(Nemine talis eheu! securior, Oscine casus)
Picta ferebatur tunc per laqueária Cæli,
Pleïadas Hyadásque tuens trepidúmque Booten:
Cum subitò rutilâ PASSERTI *apparet in æthra,*
Os, humerosque viro similis quem norat, imago;
Primitùs illa pauens, retrahi: dein poplite paulùm
Firmior, attendit, pompámque obnixa notauit.

Currus agebatur Paphiis *hinc inde Columbis,*
Ambrosiam fudit prægnans quà Iuno papillam,
Multa in circuitu Geniorum *classica, multi*
P*laudebant auium glomerato examine cantus,*
A*urea fræna tenens præerat Caducifer ales,*
In medio facilis PASSERTIVS *ipse videri:*
Dextram Oleæ termes, mixtis at tempora canis
Laurus Elichryso simul inter plexa tegebat,
Versabantque rotas geminæ (pia pectora) Nymphæ,
A*mbæ floridulis in* A*prilibus, Atthides ambæ:*
Prima, nec immeritò laudata Poëtria SIREN:
Quâ sine belligeros nec mars lenire tumultus,
Nec festas agitare dapes Pax candida nouit.
A*ltera, lacte, fluẽs, & Hymetti adspergine* PITHO,
Quæ duplicis pariter constringens fœdera Mundi,
T*emperat insultus populorum, ostròque superbos*
Iracunda Ioues deponere fulmina cogit.



ΑΣΠΑΣΤΙΚΟΝ
IANI AVRATI,
AD IANVM PASSERATIVM:
ELYSII NEMORIS ANTE-LIMINIO
SVCCEDENTEM.



IS *tua* PASSERTI *tandem vetus appulit oris,*
Fama per innumeros conciliata dies;
Gratior atque oriens niueo de pectore virtus,
Creber & antiquæ ſimplicitatis bonos,
Te conſtans in amore fides, in agône facultas,
Robur in ærumnis, cultus in officiis:
Te plutei cæſura frequens, ſtudiúmque Iuuentæ,
Et Schola nunc celebri nuda Magiſterio;
Te pulſa haud vnquam populari Barbita cæſtu,
Sed quod ab irriguo Nectare manat Epos;
Flexanimi potior te Cecropis ore venuſtas,
Diuéſque Hybleis muſtea lingua fauis:
Te decoris quicquid, ſolida vel laudis vbique eſt,
Huc ſtitit, emenſum plurima Luſtra Senem.

O felix! quæ Cymba meos mihi vexit Amores!
Siue Cytoriaco creuerit illa iugo,
Siue alibi, in Nemorum frondes dum perfurit Auster,
Ediderit querulis sibila multa comis.
Heu! tua quàm cupido propiùs datur ora tueri,
Longáque quàm tristes secla tulêre moras!
At post tot dubio reuolutos cardine menses,
Tot quoque rupicibus functa pericla viis,
Nunc saltem incolumi placidè collater amico,
Eius & amplexu liberiore fruar,
Nunc simul alternas liceat reflectere voces,
Ac fidei signo conseruisse manus.
Ah quoties timui! (námque & post funera durat
Sensus, & igniuoris scit superesse rogis)
Ah timui quoties! patrio ne quassa tumultu
Vis tua, se præsens ferret in exitium;
Raptá-ue cuncti-fremi necopino turbine fati,
Pieridum tumulis mitteret inferias.
Ne clamore virûm, tua ne clangore tubarum
Deficerent subitis territa plectra minis,
Fœdáque barbaries toto iam gliscera Pindo,
Serperet in teneros (deside pube) sinus,
Tunc potui, si bina viris nent stamina Parcæ,
Bisque datur stygios exsuperare lacus;
(Vsque adeò meminisse pudet, luctúsque resurgit)
Tunc potui innumeris mortibus ipse mori.
Castalio siquidem princeps ego vertice Musas,

Deduxisse bonis prædicor alitibus,
In loca sentasitu steriles & primitùs agros,
Quos nunc mellifluis Sequana lambit aquis.
Et paterer tantos frustrà periisse labores?
Idqúe feris Martem posse libidinibus?
Plura tamen, reprimor; flendo nam ducere tempus,
Non sinit ELYSIÆ *sedis amœna quies.*
Hic est ille nouus totâ quem mente petisti
Orbis & Indigetum Sylua beata penu:
Purior assiduos vbi Lucifer exerit ortus,
Lunáque flammeolo candidiore nitet;
Lætior ac trahitur Sirenum vocibus æther,
Et sua dat placidis gaudia Vergiliis.
Nulla procelliferos heic Sucula contrahit imbres,
Nullus Hyperboreo frendet ab axe Trion,
Heic nulli crepitant lapidosâ grandine sulci,
Ægra nec immodico frigore sæuit hyems.
Perpes at Elarinē Zephyrus dum Chlorida mulcet,
Ambrosiisque iterat basia multa genis,
Viuificas spirare libens non desinit auras,
Floribus ac gremium dædala pingit humus,
Baccare, purpureis violis, & olente ligustro,
Coccina quíque Ducum sanguine tincta gerit:
Aut quibus irradiant stellantia pratula gemmis,
Hortus-ve insignes queis fouet areolas:
Vnde sibi Elysiæ texunt redimicula Nymphæ,
Et capiti lumen, brachiolísque decus;
Seu propter gelidos quibus vbera lactea fontes,

Seu choreas agitent vallibus auriferis;
Aut vbi crine tegunt virides Pineta smaragdos,
Persona Luscinijs, pippula PASSERIBVS:
Quippe suos etiam nobis integrat Aëdon
Gutture multiplices euariante modos:
Sed nec opem Merulus, neque picta refellit Achătis,
Nec minùs indigenæ dulcè queruntur aues:
Præsertim globulos vbi Myrtus opacat amantum,
Exacuitque nouam Cypridis igne facem.
Heu! quid enim pia Mens finxisse beatius ausit?
Vel cerebro vanis optet imaginibus?
Fortunata nimis! nimiúmque argilla Promethei!
Quam fauor huc superûm sorsque benigna tulit!
Námque fluentisono iactatis æquore Nautis,
Votiui partus quod facit hospitium,
Hoc super, innocuæ perfunctis munera vitæ,
ELYSII *nemoris præbet amica salus.*
Res quoque mira, sequi procùl hâc statione repostos,
Quod studium viuax, antè sepulcra fuit.
Parrhasijs viden' hos pigmentum animare tabellis:
Quódque eludat aues, ludat & artificem?
Illos P*hidiaco polijsse toreumata cælo?*
Ducta nec vnius Mentoris æra manu?
Audin' vt arguto pulsent hi pectine chordas?
Et vocale iuuet concinuisse melos?
Contemplator item, sua queis arcana reclusit
Omniparens S*ophie, Mnemonidum-ve cohors:*
Vt satagant celebres renouare docendo cathedras?

Vt volup' aßiduis inuigilare libris?
Ecquàm vndante fauo, sua prorsa aut vorsa, loquantur?
Ac nihil abstulerit corporis interitus?
Aspice Collegas, quorum pars magna fuisti:
Et quibus aduentu cor salit omne tuo:
TVRNEBVM-*ne vides? Tripodis quo Principe Mysta,*
Sol stupet Eous, sol stupet Occiduus?
Huic propè TVSSANVM, VATABLVM, *faciemque* DANÆSI?
Tene latent HELIAS, GVLLONIVS*que Gener?*
Dignior & Litui GENEBRARDVS *Aquēsis honore,*
Cui retulit proprias lingua Sionis opes?
Atque alij, quos laude pares Encyclica Pallas
Æternùm vetuit nocte silente premi?
Sed paulùm tu verte aciem, quà proxima Cycnos
Ripa sub Orphæis nutrit arundinibus:
RONSARDVS-*ne patet? Columen quod Celtica Phœbas,*
Maius & imperio prodidit ingenium?
BELLAQVEI, BAIFIQVE *simul vultúsque* IODELI,
Et quotquot Melicis enituere lyris?
Quæ fuerat quondam studiosæ cura Palæstræ,
Maior ab ex sequijs sub Phlegethonte manet.
Sic mihi (nam fateor) persæpe re-vellicat aurem
Cynthius, & solitam vult ferijsse Chelyn.
Te quoque lex eadē (PASSERTI) *hinc vsq; tenebit;*

Iam nunc quando nouis indigitâre choris;
Huc ades expectate diu, te cuncta salutant
Agmina, iam patulas hora subire fores;
Ingredere ô felix! tibi Cinnama spiritus halet;
Et sursùm cæspes mollior ossa premat.
Hæc, pater AVRATVS, *senium, pallente Corymbo,*
Ornatúque micans floridiore caput,
Hæc adigens lacrymas in gaudia multa, profatur,
AVREVS *ille sacri Dux Ariesque gregis.*
SVBIICIT *at paucis contrà* PASSERTIVS *Heros,*
Nec remouet tenuem Cœtus ab aure sonum.
Quæ mihi grataris veteri vetus hospes Amico,
Quæque sub aspectum prospera cuncta voues:
Munifici iecoris præstant quia nobile pignus,
Me-ne pari affectu reddere posse vicem?
Id valeant saltem vires, quod firma voluntas,
Aut certè in magno, sit voliüisse lucrum:
Vix sat enim recolam, quem non marcentia Lethes
Pocula, fecerunt im meminisse mei.
Ac equidem, Lachesis, dum per reuolubile pensum,
Ius fuit Aonios incolüisse lares:
Semper ab AVRATI *mihi Numine prima cucurrit*
Linea, & eiusdem desijt exodio,
Hic mihi Phæmonoës stimulos sub pectore vertit,
Hic polus auspicijs, hic Cynosura meis.
Quáque corallifero vestigia pressit in Hæmo,
Iugis eo sequier tramite cura fuit,
Freta nec illius rediuiuis pulpita Lauris,

Segniùs officio destituisse ferar,
Quamlibet instabiles variarent tempora casus,
Ac quocunque Erato flecteret orbe pedem;
Non licet attonitas Mauorte furente per vrbes,
Obstreperent studijs Classica torta meis:
Nec licet ingenium subiens cariosa senectus,
Ætatis veniam legibus appeteret.
Sustinuique libens diuturnæ ingentia molis
Pondera, & extremo perstitit vngue labor:
Corporeæ tegetis donec Mors fasce soluto,
Compulit ELYSIÆ *pergere sedis iter.*
At tu suscipias deuotum AVRATE *Clientem,*
Obsidibusque tuis annumerare velis:
Da Pater alloquio, da semper amore fruisci,
Perpetuóque tuum cingere posse latus.
Hæc vbi Mercurius memori sub pectore fixit,
PASSERTI *fuerat qui per Auerna Comes:*
Extemplò foribus sese subducit Eburnis,
Præpes & aërias carpit vt antè vias.



IN EPITAPHIVM
CARMEN

A PASSERTIO VIVENTE SIBI IPSI SCRIPTVM.




IPse sibi viuens condidit PASSERTIVS
Titulum sepulcri: scilicet mortis memor:
Cuius se acerbo vindicans ab impetu,
Obliuiosi fortean præsagiit
Doctis iniquum sæculi silentium:
An vt hac (molestus nemini qui vixerat)
Mortuus opellâ subleuaret posteros?



EPODE

CHORI ELYSII.



Vod cæca vano ſudat anhelitu,
Mortalium Gens, quod tacitis vouet
Fallax acerris, quod benignos
Audet hians rogitare diuos:

Inſanientis deſipientiæ
Vocale pignus: num queat vberes
Fletus morari? num procacem
Democriti tenuiſſe riſum?

En! qui moleſtis faſcibus ambiunt
Strictas ſecures, ſceptráque Principum:
Ac ære non paruo coemptos
Fumiferi ſtrepitus honores.

En! qui retruſo Mygdonias ſinu
Opes aceruant, textâque Seribus
Aulæa, fulgenteſque rubri
Æquoris indicio lapillos.

Quid: delicati queis nihil anteït
Ventris ſaginam? Murrhina qui bibunt
Nardo peruncti? vel Sabææ
Inter odoriferos vapores?

Sed quotquot vſquam paſcit inanibus
Mens ſtulta curis, turpiter occidunt:
Audítque ſub cryptis Auernus
Luctificæ ſonitum ruinæ.

Solus fauenti Numine Cælitum,
Stat ille fælix: qui procul ambitus
Lucríque Scylla, qui pudendo
Fræna regens potiora luxu:

Integra doctis luſtra Sororibus,
Deuotiori pectore mancipat:
Sacroſque (PASSERTI) labores
Flexilibus veneratur vlnis.

Io triumphe, protinus aureà
Io triumphe, claret ouans manu:
Tenditque poſt declive fatum,
ELYSIAS remeare ſedes.



AXAMENTA
NYMPHARVM ELYSIADVM.



AVDENT pascua, roscidique saltus,
Ortus sideris aureæ Diones:
Gaudent consita, nobilesque plantæ;
Et Choris Dryadũ statí recessus,
Et festæ veneres salubris horti,
Et lætæ segetes feracis arui,
Hac Cytheride pampinus superbit,
Et cacumina montium resultant,
Et decliuia collium virescunt:
Sic pratensibus & salicta ripis,
Et agrestibus iliceta dumis,
Et frondentibus æsculeta syluis.
Gaudent Nereos heu iocilla; Nautæ,
Sacro Castoris atque fratris igni:
Gaudet sutilis alueus carinæ,
Ac oraria blandiente lino,
Et aplustria feriante Malo,
Tunsillæque vagos trahunt colores,
Antennæque nouos cient tenores,

Anchoræque suos leuant labores:
Quippe sideris illius recursu,
Trux Salacia protinus quiescit,
Et commurmura flaminum silescunt,
Et bullimina fluctuum residunt.
At nunc PASSERIS emicante signo,
Quà Cœlestis OLOR, LYRÆ propinquat,
Et nexu triplici fouentur vnà:
Gaudebunt agè, quotquot antra Cyrrhæ,
Quotquot Pegasidum nemus frequentant,
Quotquot Mercurij fides lacessunt,
Quotquot Palladis aut tenent oliuam,
Aut Apollinis ambiunt corollam.
Gaudebunt quibus expetita Clio,
Versat Nectarei liquoris vndas,
Præbet vatigenæ soporis vmbras,
Et tendit niuei decôris vlnas.
Sic tandem merito recepte Cœlo,
PASSERATI precibus faue tuorum:
Da, te iam valeat sequi Iuuentus,
Æternúmque tuis sonare plectris,
Æternúmque sacris ferire thyrsis,
Æternúmque tuis nitére Lauris.

TOMBEAV
DE MONSIEVR PASSERAT.


ELVY qui par l'aspect de tant de
Mausolées,
Se plaint que la vertu soit subiecte
au trépas:
Et que le corps des grands serue aux vers de
repas,
Apres s'en estre au Ciel les ames enuolées,
Mais qui plus a pitié des troupes desolées,
Dont le cœur dégousté de tous autres appas,
A chery seulement, & retracé les pas
Des Muses, pour iamais à l'honneur immolées.
Celuy là s'il est braue, ou de marque &
d'aloy,
Accuse en vain les Dieux; puisque telle est la
loy
Du Sort impitoyable, & du Destin supreme:
Que s'il n'est de valeur: voïant les grands
mourir,
Et croiant qu'il luy faut plus tristement perir:
Ce n'est autruy qu'il pleure, ains se pleure soi-
mesme.



EPITAPHIVM I. PASSERTI PROF. REG. NVPER DEFVNCTI,

Expressum ad verbum;



ERRIGENVM si quando virum vos perroget vllus,
O Musæ Ægiochi ter tria Corda Iouis!
Cuius-nam graciles modo Phœbus amauerit Hymnos,
Et resonam Melici nectaris Harmonien?
Hoc subitò date responsum: Primatis Alumni,
Cui præsigne tulit PASSERIS aura decus:
Quem Charis in TROIÆ præpinguibus edidit aruis,
Et puerum lactans cælitus enutrijt.
Sin dicto obstupeat; tanti cognominis Hermē,
Nunc stratum, exiguo puluere posse premi.
Verè hoc Pierides subiungite: Carmina vatum,
Frangere vim fati, præcipitésque rogos.


ET PASSER INVENIT SIBI DOMVM;
ET TVRTVR NIDVM SIBI, VBI PONAT
PVLLOS SVOS.



D. O. M. S.

IANO PASSERTIO TRECENSI, VIRO
INTER ERVDITISS. MODESTISS.
INTER MODESTISS. ERVDITISS.
ACADEMIÆ, IN QVA SOLI BARBARI
ET IGNARI PEREGRINANTVR, AS-
SERTORI PRÆCIPVO: QVEM LICET
SONTICVS MORBVS, PER PLVRES
ANNOS LECTO PROSTRATVM AF-
FLIXERIT, TAMEN VEL HOC IVVIT
STANTEM MORI, VT TRIVMPHA-
LEM REGIÆ CATHEDRÆ SESSIO-
NEM, EGREGIO PÆANE TERMI-
NANS, MOXQVE INDIGES FVTVRVS:
LITERATIS PRÆSENTIVS NVMEN
IN POSTERVM AFFVLGERET.
ACAD. MOER. P.

Cum reliquis dederit tam multa Epicedia viuens:
Qui facerent functo, vix habuisse, doles?



AD LECTOREM

HÆc nos sepositis agitamus vt otia nugis:
Scito quoque appositis tractare negotia rugis.

SEBASTIANVS ROLLIARDVS
MELODVNENSIS IN SVPREMA
CVRIA FRANCIÆ ADVOCATVS,
LVSI AN FLEVI?

AVTVMNALIBVS FERIIS,
LVTETIÆ PARISIORVM

CIϽ. IϽC. III.

GILBERTI GENEBRARDI, Theologi Parisiensis & Aquensis Archiepiscopi, lib. 4. Chronologiæ, hæc habentur.

XIV. Septembris, die S. Crucis, Ioannes Passeratius in Academia Parisiensi Eloquentiæ regius professor, nostra ætate clarissimus, Parisijs obijt, & Epitaphium hoc carmen prius sibi ipse scripsit.

Hîc situs in parua Ianus Passertius vrna, &c. quale suprà.

Monsieur BERTAVT, Euesque de Sees, Abbé d'Aunay & premier Aumosnier de la Reine. Sur la mort de Monsieur de Passerat.

S'il s'est faict vn triste naufrage
D'vn des ornemens de nostre âge,
Quand Passerat nous a laissez,
Et s'il faut que tout le souspire,
Il n'est nul besoin de le dire,
Ses escripts le disent assez.

RENIER en ses opuscules poëtiques qui se lisent apres ses Satyres.

SVR LE TRESPAS DE Monſieur Paſſerat.



ASSERAT le ſeiour & l'honneur des Charites,
Les delices de Pinde, & ſon cher ornement,
Qui loing du monde ingrat, que bien heureux tu quittes,
Comme vn autre Apollon, reluis au firmament,
Afin que mon deuoir s'honnore en tes merites,
Et mon nom par le tien viue eternellement.
Que dans l'eternité ces paroles eſcrites,
Seruent à nos neueux comme d'vn teſtament.
Paſſerat fut vn Dieu ſous humaine ſemblance,
Qui vid naiſtre & mourir les Muſes en la France,
Qui de ſes doux accords leurs chanſons anima,
Dans le champ de ces vers fut leur gloire ſemee,
Et comme vn meſme ſort leur fortune enferma,
Ils ont à vie eſgalle, eſgalle renommée.

DIONYSIVS LAMBINVS Monstroliensis, & literarum Græcarum Doctor regius in Oratione publicè habita Lutetiæ Parisiorum, anno 1568.

IOANNES PASSERATIVS, Trecensis, qui tres abhinc annos se ad Iuris ciuilis studium contulit, homo in his literis, quas nos quotidie tractamus, magno cum acumine, iudicioque versatus: qui viri proximè à me commemorati, primæ classis, moderatores fuerunt.

IANVS GRVTERVS, tomo 2. Delitiarum Poëtarum Belgicorum. Ad Ioan. Passeratij Carmina.

SI quis vimque decúsque repræsentare tuorum
Vult Passerati carminum:
Ille necesse habeat Cygni confundere voces
Sonis Aëdonum aureis,
Terque trium lectos Musarum adiungere voces
Siredonum melismati:
Dein lituum flatus fidibus miscere lyrarum,
Tubæque bombos barbitis.
Omnibus ex illis concentus qui fluet, is par
Vix versibus fluet tuis.

VALERIVS ANDREAS,
Belga, in Elogijs & Iconibus doctorum virorum,
Antuerpiae editis anno 1611.

IOANNES PASSERATIVS, Gallus, Eloquentiæ Professor regius, Philologus & Poeta, obijt Parisijs 1602. apud Dominicanos sodales ab Errico Memmio grato discipulo conditus, atque Epitaphio honoratus.

IOANNES EDOARDVS DV MONIN,
in manipulo Poetico.

AD IOAN. PASSERATIVM,
Eloquentiæ professorem Regium.

CVm mea per curuam festinet cymba Maleam,
Nec patrio sedeat culta, placensque solo:
Cúmque iuuet terras penitus tentare repostas,
Præda Notis fierem, nî Palinurus eas.
Ni Palinurus eas, ego dicar perdere naulum,
Sed mihi dat naulum nominis vmbra tui:
Sic etenim externos oculos, aurésque moraris,
Vt tua quisque sibi signa moretur ouans:
Nam postquam auriculis Passertia consonat aura,
E Pylijs Pitho creditur hausta labris.
Hinc, mea sub Dio ne cymba fugata moretur,
Dum petet Eoos, dum petet Hesperios,
Te, mea spes adeo supplex tua numina posco,
Vt praeas velis portus, & ora meis.

EIVSDEM ANAGRAMMA
ſanè Ianos ſuperaſti.

IAnum haud Ioannem licebit dicere
Te Paſſerati: Tu Ianos ſuperas enim.
Iani bifrontes: Cynthio tu centifrons,
Qui Cimmaream Lyncica caliginem
Acie penetras, & refers Olympicæ
Luci repoſtam cana nubem Palladis,
Immò te Ioannem Ianum vocabimus:
Haud námque Ianos cæteros ſuperas modò,
Superas ſed & Te: nominis Themis hæc tui.

Elogiorum Io. Paſſeratij.
FINIS.



IO. PASSERATII,

ELOQVENTIÆ PROFESSORIS ET INTERPRETIS REGII, in Plauti Prolegomena Oratio.



E quis me officii muneríſque mei non ſatis nunc meminiſſe arbitretur, Auditores, quòd Eloquentiam profeſſus, Oratores ſubitò reliquerim, vt me ad Comicos Poëtas conferrem, expromenda breuis eſſe videtur oratio, & quæ multis fortaſſe augeat citiùs quàm minuat admirationem. Non enim dicam, quod veriſſimè commemorare poſſum, id oneris quoque mihi Regem impoſuiſſe, & vt per cuncta humanitatis ſtudia liberè vagarer permiſiſſe; ſed contendam, &, vt ſpero, argumentis vincam, propè neceſſarias ad inſtituendum informandúmque Oratorem eſſe huiuſmodi fabulas: nec fuiſſe quicquam, hoc tem-

pore, & ex hoc loco, potiùs explicandum: *finitimus est quidem oratori poëta, cuius virtutes omneis persequitur, cùm numeris sit adstrictior, ornandíque generibus socius ac penè par*, si optimo dicẽdi magistro credimus. E poëtarum autem numero Comicus ad oratorem eò propiùs accedit, quòd mentibus impellendis, in quo vires opésque suas experitur & ostentat eloquentia, maximè vnus excellit. Quam enim corporis figuram vel Lysippus cælo fingere, vel Apelles penicillo pingere ita possit, vt tot támque dissimiles animorum motus susceptis in personis exprimit Comœdia? Illic videre licet lætitia gestientes, contabescentes ęgritudine, furentes iracundia, amore insanos, feruentes auaritia, luxu perditos, expectatione suspensos, debilitatos metu: Nulla deníque perturbatio in communi vita reperitur, cuius exemplum non ab ipsa scena petendum sit oratori. Quantâ porrò sermonis elegantiâ niteant fabulæ vel incisum in comici sepulcro docet epigramma:

Immortales mortales si fas esset flere,
Flerent diuæ Camœnæ Næuium poëtam.
Itáque postquam est Orcino traditus thesauro,
Obliti sunt Romæ linguâ loqui Latinâ.

Hoc certè carmen arrogantis, & Campanam olens superbiam: Honorificentius Stolonis

de Plauto testimonium, qui *Musas aiebat, si Latinè loqui voluissēt, Plautino sermone fuisse loquuturas*. Non minùs illustre de eo iudicium fecerunt Lælius, Claudius, Aurelius, Accius, Manilius, Seruius Papyrij Boëti frater, literatissimi homines; & omnium longè eruditissimus M. Varro: qui linguæ & elegantiæ in verbis Latinæ principem esse pronuntiarunt. Iam oratori quàm suauis & vtilis sit iocus, quantùmque prosint ad caussas obtinendas facetiæ, qui non ignorat, fateatur oportet harum palmam Plauto sine summa iniuria præripi non posse. Nisi fortè transuersus incurrens Horatius, suam illam vobis insusurrauit cantilenam:

At nostri proaui Plautinos & numeros &
Laudauere sales, nimiùm patienter vtrúmque.

Istuc nimiùm patienter, haud patiar impunè dictum esse, húncque testem aut vt cupidum refellam, aut suo ipsius opprimam testimonio. Etenim à quo dicitur

Plautus ad exemplū Siculi properare Epicharmi?

quo poëta nihil salsius, nihil festiuius? Nempe ab eo à quo audiuntur;

--- aspice Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis Ephebi;
Quàm non adstricto percurrat pulpita socco?

Quòd si auctoritas cum auctoritate comparanda est, M. Tullium cum Horatio compone-

mus, qui genere iocandi vrbano, ingenioſo, faceto, refertum eſſe Plautum ſcribit. Sed periculum eſt ne, dum pro fama Plauti acriùs propugno, meam exiſtimationem quorundam ſermonibus oppugnari ſinam, qui ridicula miſeris his temporibus parum conuenire clamitabunt. Sint iſta luctuoſa & funeſta tempora, vt ſunt ſanè; conſumptis tamen lacrymis quæ diuturnitate malorum iampridẽ exaruerunt, cur, etiam in rebus perditis, lectitare comœdias nobis non concedetur, quum Næuio in carcere, quum Plauto in piſtrino molíſque circumagendis, eas ſcriptitare licuerit & libuerit? Neque vos pudebit, opinor, Philoſophiæ parentem imitari Socratem, Auditores, qui ſpectator frequens veteris Comœdiæ fuit, neque ex theatro vllis maledictis & conuitiis potuit explodi, quibus coram ab Ariſtophane & cæteris petulantiſſimè indigniſſiméque concerpebatur. Quid aliis vſuueniat neſcio: ego de meo ſenſu ita iudico; Heracliti vitæ rationem, Democriti inſtituto non eſſe anteponendam: nec ſanum illis eſſe ſinciput qui Timonis mores amplexi ringi malunt quàm ridere. Suum cuique ingenium & ſtudium: meum eſt eiuſmodi, vt ſi quis me roget, vter magis mihi placeat in Comœdia Stratilax an Pſeudolus, ingenuè reſponſurus ſim huius ſe-

stiuam vrbanitatem mihi esse cordi; & animum meum ab illius tristitia atque agresti immanitate prorsus abhorrere. At in Comœdijs auarus senex, amator adolescens, herus iracundus, seruus fallax, meretrix improba, periurus leno, quum in scenam prodeunt, flexibiles, & in vitia proniores iuuentutis animos facilè ad turpitudinem pelliciunt: Itaque tutius est non in theatrum ingredi, quàm deteriorem è theatro regredi domum. Agnosco vocem grauis alicuius Censoris vel patrui, ex quo libenter quæram, quum eò nos vetat accedere vbi versantur ii quos modò nominaui, quò terrarum ille suo edicto nos amandat? Quis hominum cœtus, quæ ciuitas, quæ in terris natio tam beata, vt iis se carere gloriari possit? Quis erit exilio locus? an nos relegabit in earum vrbium aliquam, quas esse habitaríque in Luna Colophonius somniauit Xenophanes? Quantò satius est, intenta in hoc vitæ speculum mentis acie, aliorum mores intueri, vt quæ recta videbuntur, ea consectemur; quæ praua, fugiamus? Homericum Vlyssem admiramur, quòd variis erroribus per totum decennium, magno cum discrimine iactatus, multarum gentium mores viderit, ampliorémq; ei tribuimus laudem quòd πολύτροπος, quàm quòd πτολίπορθος extiterit: coactus enim

ſum Græcè dicere, quo dicerem melius. Nobis adeunda non ſunt tot pericula quot Vlyſſes ſubiit, vt diuerſa hominum noſcamus ingenia : nihil neceſſe eſt extra caueam aut orcheſtram peregrinari : hîc ſedentes & ſecuri minimo diſcemus negotio, quo modo declinare turpia, & honeſta valeamus adipiſci, neque ſolùm quo modo nobis, verum etiam quo modo noſtris opem feramus, & fortunæ medeamur incommodis. Nam illa nobis deeſſe non debet quæ mutis animantibus largita eſt natura prudentiam. Scarus piſcis naſſa incluſus non fronte conatur erumpere, nec infeſtis viminibus caput inſerit, ſed crebris caudæ ictibus naſſæ aditus laxat, atque ita retrorſum euadit: cuius periculum ſi Scarus alius aſpexit, apprehenſâ mordicus caudâ, ſolet nixus erumpentis adiuuare. Simillima eſt Comœdiarum ratio, ex quibus & mutuum licet ſumere auxilium & exemplum. Age, præcepta bene viuendi, nónne molliùs fabellæ auribus animíſq; adoleſcentulorum inſtillant quàm rigidæ philoſophorum ſcholæ, multóq; auidiùs arripiuntur, ac tenaciùs inhærent ? Quinetiam mirũ quiddam hîc accidit vt quæ inimica eſt virtuti, eius conciliatrix fiat voluptas:

Ac veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum

Contingunt mellis dulci flauóque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptúque non capiatur,
Sed potiùs tali tactu recreata valescat.

Aureolos præstantis poëtæ versus & vobis notos inserüi, vt rem ipsam qua de agitur aptissima venustissimáque similitudine sub oculos subiicerem. Equidem Comœdiæ vt falcis vinitoriæ vsus fructúsque est multiplex: quemadmodum enim vinitor quum quid in aduersum pressa manu desecare vult, cultro falcis vtitur: quum retrahere, sinu: cùm alleuare, scalpro: quum incauare, rostro: quum ictu cædere, securi: quum in angusto expurgare, mucrone: quæ omnia sunt vnius eiusdémque falcis opera. Ita qui volet turbidum vitæ genus contemplari, spectet motoriam; qui tranquillum, statariam; qui leuibus & turpiculis gaudebit, tabernariam & mimum: qui rerum personarúmque dignitate, prætextatam adhibeat fabulam: Quippe in species commutatur & formas innumerabiles Comœdia; nec est versutior rota figularis, vt Plauti nostri verba vsurpemus. Longiùs excurreret, & in tam aperto patentíque campo exultaret effusiùs oratio: sed breüitas quam, etsi res non postulat, tempus tamen flagitat, & initio polliciti sumus, nos vt

orationem, tamquam bonus agitator currum, ſuſtineamus admonet: & vt ad craſtinam diſputationem de Comœdiæ origine, partibus, natura, Plautinæque fabellæ artificio, nos interea comparemus.

IOAN. PASSERATII, *Encomium Aſini.*

TAntum approbationis, ſuo quodam quaſi genio, Plauti fabulæ conſequutæ ſunt, Auditores, vt nullam acclamatione aduerſa vel paſtoritia fiſtula, omnes incredibili plauſu populus sẽper exceperit: neque verba facturis magiſtratibus plus ſilentii præcones in foro, quàm attentionis, earum ſolo nomine, hiſtriones in theatro à multitudine impetrarint. Id autem ſiue Plauti fato, ſiue, quod probabilius eſt, lepore atque vrbanitate contigerit, mihi perſuadet tam elegãtium fabularum vt actori, ſic interpreti, minimè de colligenda beneuolentia eſſe laborandum. Vereor tamen ne quis inſulſè facetus hoc meum irrideat conſilium, quòd ab Amphitruone, graui Tragicomœdia, profectus ad Aſinariam rectà contenderim: vetúſque verbum in me contorquens, à diis ac regibus, tamquam ab equis, ad aſinos, me

transiisse cauilletur. Quamobrem officii ratione admoneor, vt peruagatum vulgi sermonem quo asini tantopere abiiciuntur ac conteruntur, falsum esse demonstrem; & cum opinione tot sæculis inueterata, cominus argumentis congrediar: *etsi difficile est errorem, qui tam altè radices egerit & propagarit, statim euellere*: sed quò difficiliùs, æquum est vt hoc me benigniùs attentiúsque audiatis. Quæramus igitur cur auctor eius prouerbii, quisquis tandem fuit, sanè obscurus & ignobilis, vilissimos esse asinos somniarit, nec vlla ex parte cum equis comparandos: an propter tarditatem? At in India, Syria, & ad Euphratem, pernicissimi reperiuntur, quemadmodum Ælianus & Xenophon memoriæ prodiderunt. An propter virium imbecillitatem? At equis ipsis iudicibus, asini caussam suam obtinebunt, qui si loqui possint, vt Achillis equi apud Homerum, laudem istam asinis vltro concedant, ac spônte fateantur, nisi asininum semen equarum semini mixtum esset, mulos, omnium animalium, quæcúmque collo dorsóve domantur, validissimos, non esse nascituros. Vnde cùm alia multa, tum hæc sequerentur incommoda; quòd medici ægrotos visentes, vbi properato est opus, suis, non alienis pedibus, ambulare cogerentur: & innumerabiles futuri essent se-

natores pedarij; lunæque currus, quem mulæ iunctæ trahunt, ingenti mortalium damno, frugúmque calamitate, consisteret. An quod equi strenuam in bello nauant operam, asini ad cõmmittendum prælium, & rem gerẽdam, parum idonei existimantur? Facilè hoc dici patior, equos ad hominum perniciem plurimùm, asinos nihil conferre nisi ad salutem, & ad pacis artes recolendas atque retinendas. Huc accedit quòd equos plerósque omnes refractarios, succussatores, vmbram metuentes, mordaces, sternaces, calcitrones, videmus: quibus à vitiis nemo nescit abesse asinos longissimè. Idcirco magna mater, siue illa Cybele, siue Isis, siue Ceres, siue quo alio gaudet nomine, asinis, non equis, se ac sua mysteria committit, insidentem asino Silenum prætereo; ad te venio,

----- cui prima frementem
Fudit equum Tellus magno percussa tridenti
Neptune.

Tu consualibus, festo tibi die, asinos non minùs quàm equos floribus coronari voluisti, licet in equos inclinatione voluntatis magis propendeas. Nec immeritò hic asino habitus honos, qui tot tantísque laboribus in varios humanæ vitæ vsus exercẽtur. Ex ea enim segete quam stercorauit, arauit, iterauit, tertiauit,

ac lirauit, collectam messem conuehit in horreum: post trituram in pistrinum defert, ibi molam versat, inde domum refert farinam: &, vt ait Virgilius:

Sæpè oleo tardi costas agitator aselli,
Vilibus aut onerat pomis: lapidemq; reuertens
Incusum, aut atræ massam picis vrbe reportat.

Quas in miserrimi quadrupedis ærumnas, non absque magna iustáque commiseratione, intuenti, venit mihi Ptolemæi regis in mentem, cui cùm Heraclides Lycius librum obtulisset, quem inscripserat πόνου ἐγκώμιον, primam Rex vrbanissimus literam deleuit, vt ostenderet πόνου ἐγκώμιον re verâ ὄνου esse ἐγκώμιον, eámq; virtutem, quâ tolerandis rebus aduersis gloriamur, asinum sibi posse iure suo vindicare. Quid ego de temperantia dicam? Postquam immanissimos labores exantlauit, & quibus ne Hercules quidem par fuerit, vix sub multam noctem ab opere dimissus, & sub dio relictus, carduis, tribulis, paliuris, vescitur: tam arido horridóque pastu contentus, ne ad singularem patientiam non adiungatur frugalitas in philosophorum scholis, qui eam profitentur, inaudita. Ex qua frugalitate fructus capit vberrimos; quando & tardiùs deficit quàm vllum aliud armentum, & morbis rarissimè tentatur, quibus assiduè conflictantur nostri Philoxeni,

Apitii, Gallonii, eiusmodique gurgites atque ventres, qui, vt Pliniani sues, animam pro sale videntur accepisse, ne tantisper dum sunt in vita putrescant. Nisi fortè ficus ab asinis quondam appetitæ in gulæ ganearúmque loco ponantur, quod tamen spectaculum prodigii simile ex admiratione nimia risum immodicũ, ex immodico risu repentinum interitum Philemoni Comico fertur attulisse. Eius porrò virtutis quæ ius suum cuique tribuit, & cæterarum Regina sapientum suffragiis constituitur, in asino præcipuè vis & splendor elucescit, qui pabulo semper abstinet alieno, prodest omnibus, nocet nemini: insignis adeò cultu deorum, vt religione numinum, & simulachrorum quæ gestat sanctitate consecratus sit. Ob eximiam quoque, & valde spectatam in dominos fidem, vagatur sine custode, non cohibetur ergastulis, vinculis non coërcetur: cùm necesse sit equum asseruare, haud minore studio quàm fugitiuum aliquod mancipium: quoniam noctes diésq; fugam meditatur, in qua impotenter exultantem, & similem furenti Q. describit Ennius:

Et tum sicut equus qui de præsepibus actus,
Vincla suis magnis animis abrumpit, & altè
Infert se campi per cærula lætáque prata
Celso pectore, sæpe iubam quassat simulatam:

Spiritus ex anima calida spumas agit albas.
Summis verò laudibus tollēda est asinarum in fœtus suos charitas, ad quos per medios ignes penetrant, vt eripiant periculo, nec vllum ardorem flammæ pietas materna pertimescit; Tantum abest vt mulierum scelus, importunósque mores imitentur, quæ partus suos interdum proiiciunt: ne facinus horribilius eloquar, & cuius solam cogitationem mens mea reformidat. Sentio non defuturos qui doctrinæ omnis expertes asinos esse contendant, & in nos velitentur arreptis ex triuio maledictis, quæ à pueris aniculísque vulgò iactantur, *asinus ad lyram*, *asinus ad tibiam*, & id genus quisquiliis, atque ineptiis. Horum me certè miseret, qui non animaduertunt se in apertum stultitiæ crimen incurrere, cuius alios insimulant, dum aduersus asinorum prudentiam stolidæ plebeculæ leuissimis sermonibus & testimoniis vtuntur. Verùm istuc, quicquid est quod obiicitur diluamus. Asinus, vt aiunt, neque lyræ modulis afficitur: neque tibiæ cantu mulcetur. Sit ita sanè. Lyra delectatus est scilicet Themistocles, & fortissim⁹ ille Iouis filius, qui Linum præstantissimum eius artis magistrum, à quo erudiebatur, plectro interfecit: aut eo minus rerum gestarum gloriâ floruit, quòd lyræ molles infractósque numeros pro nihilo

putarit. De tibia duo sunt quæ respondeantur: vnum, optimas ex asinorũ ossibus fieri tibias, nec eius rei contemptum vel inscitiam viuis exprobrari oportere, cuius materia petitur à mortuis. Alterum, asinos, si maximè tibiam negligant, se deæ sapientissimæ exemplo tutari posse, cui tibia vehementissimè displicuit: &, si Propertio credimus,

vado Mæandri iacta natauit,
Turpia cùm faceret Palladis ora tumor.

Quòd si quis acumine ingenij, & celeri mentis agitatione præditum esse nescit, doctissimorum hominum, Origenis & Porphyrionis fuisse condiscipulum ignorat: vitisque putandæ rationem abroso palmite vinitores primùm docuisse: ob id lapideum asinum Naupliæ gratâ posteritatis memoriâ dedicatum; eadémque de caussa Romæ asellorum capita vite alligata fuisse in tricliniorum fulcris: ac Liberum patrem eos in fidem suam & clientelam recepisse. Prætereà, nullis hostiis æquè litatur Apollini apud Hyperboreos, vbi

τέρπουσι λιπαραὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι.

inquit Callimachus: non quòd inuisi sint Asini Phœbo, vt Cereri porca, & caper Baccho, sed quòd esse constet κλειτὰς ὄνων ἑκατόμβας, sicut à Lyricorum principe nominantur, quæ Apollini immolantur vt Iunoni pauones, & Veneri

columbæ. Diis, inquam, asinus charissimus est, nec vllum lætius feliciúsque augurium asini occursu, vt tritus Aristophanis sermo declarat, ὄνος ὄρνις. Testis ille qui C. Mario in summa rerum desperatione spem salutis ostendit, cùm esset Minturnis in Fanniæ custodia. Testis & alter cum Eutycho agasone literarum monumentis nobilitatus Nicon, qui Augusto in aciem descendenti obuiam factus, certam ei de M. Antonio victoriam portēdit. Liberatus variis, indignísque calumniis asinus, auribus adhuc tenetur, quarum magnitudo irrisione multorum immeritò luditur, cùm eadem in leporibus nequaquam reprehendatur: In promptu tamen est quod contrà referam: Nimirum id asinis vitio verti, quod à Geographis vniuersis quibusdam nationibus, Scythiæque populis, vsui & ornamento tribuitur: quorum aures tam latè patent ac diffusæ sunt, vt iis totum hominis corpus facilè contegatur. Liceret etiam exclamare,

Auriculas asini quis non habet?

nisi mallem tenebricosi Satyrici versiculum sic leuiter immutare:

Auriculas asini quis sanus nolit habere?

Legimus enim in Græcorum Commentariis, ἢ ἐπεὶ ὄνος μᾶλλον τῶν ἄλλων ζώων ἀχθει πλὴν μυὸς: hoc est, nulli animantium, vno mure dunta-

xat excepto, acriorem audiendi sensum quàm asino largitam esse naturam. Vnde explicandum est quod integumentis fabularum à poëtis implicatur, Midam Phrygiæ regem asininas aures habuisse à in quibus inuolucris latet hæc historia: Midæ omnia quæ suis agerentur dicerentúrve comperta exploratàque fuisse, prudentiáque ac consilio res suas ita composuisse, vt florentissimum beatissimúmque regnũ eius extiterit. Hinc alia nata & sparsa fama est, aurea solitum efficere quæcúmque manibus contrectasset. Superesse nihil eorum video quæ asinis obiici solent præter vocem, quam vt raucam & asperam qui minùs probant, meminerint in Gigantum aduersus deos pugna, inclinata iam deorum acie, rudentem Sileni asinum rem restituisse, terribilíque ac Stentoreo stridore perterritos Titanas in fugam vertisse; Iouíque plus in asini voce tũ præsidii quàm in ægide & fulmine fuisse. Idcircò, parta constitutàque victoria, Iuppiter tam bene de se & de diis omnibus meritum asinum inter sidera collocauit. Quæ cùm ita sint, Auditores, nequis vestrûm excandescat, si fortè asinus vocetur, non magis quàm Cleanthes, qui cùm ab iniquis asinus appellaretur, placidè respondit, quod nullam subesse existimaret ei verbo contumeliam, se asinum quidem esse,
sed

ſed qui ferre poſſet ſarcinam Zenonis. Lõgum eſſet faſtos Romanorũ euoluere, vt inde Aſellij viri conſulares, Aſinæ prætorij, Aſelliones hiſtorici, Vinnij Aſellæ, Aſinij Galli, Aſinij Dentones, & Aſinij Polliones proferãtur, quibus omnibus antiquiſſimis nobiliſſimiſque familiis id cognominis honoris cauſâ inditum fuit: præſtat huic aſininæ laudationi modum adhibere, ne copiâ rerum obruar: de quibus me, garrientem veriùs, quàm diſſerentem, minimè mirum eſt ſi benignè & attentè audiuiſtis. Nam ipſum eloquentiæ lumen, ac propè numen, Demoſthenes, abalienatum à ſe, abeuntémque concionem, ſola aſini vmbra reuocauit; & ad aſinum, tanquam ad aſylum, ſummus orator confugit, vt languentes, iacentéſque Athenienſium animos ad ſe beneuolè audiendum excitaret. Habetis orationem, ſi temporis anguſtias, quibus vrgemur, ſpectatis, ſatis longam: ſin, exploſâ imperitæ multitudinis opinione, rei dignitatem expendatis, nimiùm breuem: & in qua præſtantes ingenio viros, multiplici doctrina inſtructos, longóque vſu confirmatos, par eſſet omnem vim dicendi conſumere. Sed quia neque eruditione, neque vſu, neque orationis vbertate, abundamus, rem incomptè & inornatè complexi ſumus, vt ipſa, quæ ſimplici ſermone delectatur, ve-

ritas postulabat. Hanc si quis meliùs exornandam suscipere velit, haud equidem inuidemus, & illi maiore artificio expoliendã, vel etiam calamistris inurendam, libenter relinquimus. Nobis enim satis est purgasse & aperuisse viã, vt ad interpretationem Plautinæ fabulæ, quæ ab Asinis nomen accepit, sine vlla offensione perueniremus.

IOAN. PASSERATII
Præfatio in Captiuos Plauti.

NOn mediocrem vtilitatem cum summa delectatione coniunctam ex Comicorum scriptis ad iuuentutis studia permanare, nisi antea satis ostendissemus, Auditores, nonnulli fortasse nunc orationem eiusmodi à nobis requirerent, & tanquam debitum promissúmque munus palam efflagitarent. Sed quia, vt meministis, id abundè præstitimus, cùm in superiores prolusimus fabulas, ridiculum putidúmque esset eadem iterare, & eorum ineptias imitari, qui venales plus nimiò laudant merces, quas volunt parum cupidis emptoribus obtrudere. Me tamẽ perpetua huius scholæ consuetudo, comœdiæque Plautinæ inscriptio, antequam ad rem ipsam accederem,

vt de Captiuis pauca differerem impulerunt, quo faciliùs intelligatis in hominum vita, cuius imaginem exprimunt Comœdiæ, nihil esse captiuis frequentius, nec ad effingendos cuiúsque mores aliud esse aptius argumentum. Atque vt inde proficiscamur vnde hæc ducenda est disputatio, quòd vetus poëta γνωμολογεῖ quam vim habeat, & quàm latè pateat consideremus.

Οὐκ ἔστιν ἀνδρῶν ὅστις ἔστ' ἐλεύθερος.
Ἢ χρημάτων γὰρ δοῦλός ἐστιν, ἢ τύχης.

Liber profectò nullus est mortalium; Seruimus omnes fortunæ aut pecuniæ. Præclara me Hercule, nec à Philosopho grauior expectanda sententia. Nam si verum est quod acerrimi virtutis custodes propugnatorésque defendunt, ὅτι οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, καὶ μωροὶ δοῦλοι, præter sapientem liberum esse neminem, & stultos omnes esse seruos, vereor vt in hac vrbe tanta, quid vrbem dico? vereor, inquam, vt in toto terrarum orbe, vbi tam multi se liberos, ingenuos, nobiles iactant, & generis antiquitatem à fumosis repetunt imaginibus, reperiatur quisquam, qui non in Plauti Captiuis nomen suum cōditionémque cogatur agnoscere. Plures enim Soles quàm sapientes simul conspicias, & stultorum numerum ne Tarentinus quidem teneat Architas,

Quem maris ac terræ numeróque carentis arenæ
mensorem appellarunt: adeò peruagata communísque res est stultitia, & vtrámque paginam facit, vt in Homeri Iliade, quæ

Stultorum regum & populorum continet æstus.

Idcirco Damasippum in sermone quodam facetè consolatur Stertinius,

Qui malè re gesta cùm vellet mittere operto
Se capite in flumen, dexter stetit, & caue faxis
Te quicquam indignum: pudor, inquit, te malus
vrget,
Insanos qui inter vereáre insanus haberi.

Sui sunt humanis vt corporibus sic animis morbi: & quemadmodum non est cuiusquam tam firma valetudo, quæ non aliquo genere morbi tentetur; sic nullus animi status ita tranquillus pacatúsque est, vt numquam prauis opinionibus perturbetur, nec aliquo genere laboret insaniæ:

Sollicitant alij remis freta cæca, ruúntque
In ferrum, penetrant aulas & limina regum.
Hic petit excidiis vrbem, miseróque penates,
Vt gemmâ bibat, & Sarrano dormiat ostro.
Condit opes alius, defossóque incubat auro.
Hic stupet attonitus rostris: hunc plausus hiãtem
Per cuneos geminatus enim plebísque patrúmque
Corripuit: gaudent perfusi sanguine fratrum
Exilióque, domos & dulcia limina mutant:

Atque alio patriam quærunt sub sole iacentem.
μανία si quidem, vt aiunt, ἡ πᾶσιν ὁμοία; idque malum in aliis facilè, in nobis ægrè cernimus, vt pauci vident manticæ quod in tergo est: eo delectamur, id fouemus, alimus, augemus; ac si quis ratione disijcere & discutere conetur, aut nihil egerit, aut non magnam inierit gratiam. Testis Atheniensis Thrasilaüs, qui atra bile percitus se quotidie in Piræum conferebat, & illuc appellentes naues, quòd suas esse sibi persuadebat, benignè salutabat, ingenti gaudio excipiebat, reditum singulis gratulabatur: rursus vela facientes pari alacritate dimittebat, bonisque prosequebatur ominibus abeuntes. Postquã autem eâ liberatus est insaniâ, dici non potest quàm molestè tulerit, & quàm suaui iucundóque vitæ fructu se orbatum conquestus sit. Testis & Argiuus ille; siue, vt aliis placet, Abydenus:

Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus sessor plausorque theatro.
Ast vbi cognatorum opibus curáque refectus,
Expulit elleboro morbum bilémque meraco,
Et redit ad sese, Pol me occidistis amici,
Non seruatis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.

Si tanta est igitur insanorum natio, ijque exierunt è potestate mentis & consilij, nónne ca-

ptiuorum plena ſunt omnia? Fingamus in eundem campum à cenſore luſtrum condituro, omnes ordines conuocari, nihil ei opus erit ſcriba, nihil tabulis, in quas libera capita referat. Nullus in ſenatu ſenator, null⁹ equiti equus relinquetur, nullus erit è plebe qui non fiat ærarius. Quid multa? exiſtet illa δουλόπολις, καὶ πονηρόπολις, & vetere celebrata verbo, ſeruorũ ciuitas. Age, vt citiùs cenſus abſoluatur; & vt ego egregius ſine populi ſuffragiis cenſor in principum mores inquiram, faceſſant proletarii, citetur præconis voce prima claſſis. Prodeant cum laureatis faſcibus atque ſecuribus Imperatores; & ij maximè quos inuictiſſimos prædicant, niſi verò vincam, non poſſe liberos cenſeri non recuſo, quin eò detrudar, *vbi lapis lapidem terit.* Magnitudine animi rerúmque geſtarum amplitudine conſtat Alexãdrum Philippi filium cæteris omnibus Imperatoribus eſſe anteponendũ: Sui tamen iuris & mancipii fuiſſe negabit ambitio, & in eum manus iniiciet, quòd, cùm Anaxagoram diſſerentem audiſſet innumerabiles eſſe mundos, ingemuerit ac illacrymauerit: cauſſámque lacrymarũ percontãtibus reſponderit, ſe non iniuriâ flere, quòd vnius mundi regiones gentéſque in ſuam ditionem nondum redegiſſet; & hominem inanis gloriolæ auidiſſimum, cui

parum erat quicquid terrarum alluit, ambitúq; ſuo complectitur Oceanus; vindicias in ſeruitutem poſtulabit ebrietas, petétque vt ſibi addicatur iracundia, quòd vino & furore incenſus, fideliſſimos amicorum atque optimè de ſe meritos trucidarit. Abducet in neruum ægritudo, quòd ſera inutilíque ſceleris pœnitentia perculſus, humi aliquot dies ſpectante exercitu iacuerit, muliebríque eiulatu caſtra compleuerit. In C. Cæſare, qui ſe totum ad imitationem & exemplum Alexandri compoſuit, eadem honoris cupiditas & ambitio reperta eſt, quamuis ſerpente ſimiáque dignior, quòd patriam, quæ ſe genuerat ac eduxerat, armis potentiáque oppreſſit: cuius impietatis non eas perſoluit pœnas quas meruerat. Etenim legis ſentētiâ, quæ eſt de parricidijs, in culeum inſui oportuerat, aut verbis legis Mæniæ, quæ ita concepta fuiſſe ex Varrone didicimus, *Si quis patriam maiorem parentē extinguit, culeo inſuatur.* Cōtinentia verò temperantiáque minimè cum Alexandro conferendus eſt, qui templa deorum in prouinciis expilarit, in vrbe perfregerit, diripueríto; ſanctius ærarium. Contaminatum omnibus probris ſibiq; deditum libido, vel in medio triumpho ciuibus oſtendit, ſublimémque in curru collocatum per ora ſpectantium traduxit, magnis militum ſuorum clamoribus;

Ecce Cæsar nunc triumphat qui subegit Gallias,
Nicomedes non triūphat qui subegit Cæsarem.
Itē: *Vrbani seruate vxores, mœchū caluū adducim⁹:*
Auro in Gallia stuprū emisti, hic sūpsisti mutuū.
O. Cæsari qui dominationis iniustæ, idem & flagitiorum hæres extitit, sororis nepos, similique aspersus est infamia, quantumuis Augusti nomine imperijque felicitate glorietur. Adulteria enim frequenter exercuisse etiam familiares & necessarij confessi sunt, verùm non libidine, sed ratione commissa excusarunt, vt commodiùs aduersariorum consilia per cuiúsque mulieres exquireret. Hóccine excusare est, ac non potiùs accusare? Ignoscendum, quia sciens prudénsque peccauit, quia consultò fecit: Non est hîc deprecationi locus, & stulta cautio, vt insidias fugeret, irruere in adulteria. Si saluti consulendum erat, rempublicam redderet, insidiarum causas præcidisset. Quid quòd vniuersus populus frequentissimo theatri consessu, ludisque publicis vt prioribus posterioribúsque membris impudicum notauit, latorem legis Iuliæ, adulteriorum stuprique vindicem; & in eius contumeliam interpretatus est hunc versum in scena pronuntiatum:
Viden vt cinædus orbem digito temperat?
Tiberios, Caligulas, Nerones, & huiusmodi monstra principum prætereo: libuit tantùm de

pleno & de meliore nota promere, non de fæce haurire, vt perspicuum fieret quid de cæteris iudicandum esset, si Alexandri, Cæsares, Augusti, non tam victores aliis imperarunt, quàm victi domitique turpissimis vitiis paruerunt. Potuissem altiùs ascendere, & vetera narrare poëtarum commēta: Iouem humanarum formarum elegantissimum spectatorem, toties amore captum fuisse, ac in vincula coniectum à Titanibus, vix opera furtóque Mercurij euasisse: Iunonem incude pedibus alligata è nubibus pependisse: Neptunum & Apollinem Laomedonti mercenariam seruilémque operam locasse: Martem & Venerem à Vulcano in adulterio deprehēsos, adamātinisque retibus implicitos fideiussore patruo pœnam non ignominiam redemisse: Herculem ipsum cum lana & colu apud Omphalem consedisse, & inter pedissequas pensa traxisse: Deos omnes denique, superos, inferos, maximos, medioxumos, minutos, patellarios, necessitati fatóque seruire. Sed mitto fabulosa: Venio ad magistratus, & ad eos qui aliquid cum populo contrahunt; nónne dum sæuissimæ illi obsequuntur belluæ, longissimè absunt ab ea quæ Platonicis definitur, ἐλευθερία, ἡγεμονία βίου, αὐτοκρατεία, ἐπὶ παντὶ ἐξουσία τοῦ καθ᾽ ἑαυτὸν ἐν βίῳ. In Ægæo mari sub Arcturi occasum, tot non

concitantur fluctus, quot in administratione Reip. oboriuntur motus; nec Euripus aut Syrtes tam sunt instabiles, quàm incertæ frequentésque commutationes voluntatum. Non sequitur, sed trahit; non allicitur, sed rapit rectores suos multitudo: & eius immanitatis tot extāt impressa vestigia, vt rectè sensisse videantur qui sapienti non esse capessendam Remp. censuerunt. Quisquis enim fasces à populo accepit, expertus est se molestissimas simul accepisse compedes, & cum Aristophaneo Carione coactus est exclamare:

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν, ὦ Ζεῦ, καὶ θεοί,
Δοῦλον γένεσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.

Priuati nihilo sūt liberiores magistratibus, nec est quisquam de catasta & de machinis emptus, qui heri nutus magis obseruet, quàm humiles potentiorum, quibus spe lucri conciliandæq; gratiæ vel lenocinari sustinent. Ac quoniam lucri facta est mentio, affirmare non dubitem ab illo capite & fonte seruitutem, cæteráque in hominum cœtus manasse incommoda. Qui rebus præsunt iudicandis, pretio parantur: pretio parātur Causidici, Medici, Rhetores, Philosophi: cuncti sunt ordines nummarij: *Nulla ciuitas non venalis est, si emptorem inuenerit.* Nulla etiam est ætas in qua non cernatur obedientia fracti animi, & arbitrio carentis suo.

Pueritia magistri metu custodiáq; coërcetur. Adolescentia temeritate & cæco animi impetu: Virilis ætas honorum contentione ducitur: laborat auaritiâ senectus, quóque minùs est vitæ, eò plus cogit pecuniæ. Multi præterea magis dotibus deliniti vxoribus ancillantur; aut, quod fœdissimum est, verbis verberibúsque domiti, mulicrcularum imperiis assuescũt. Ex quo genere est infelix in Cęcilij Plotio maritus, qui, salua vrbe atque arce, quasi ab hoste captum se vxori seruire queritur, ac inter viuos mortuũ ambulare. Cælibes vinculísque matrimonij soluti meliore conditione non sunt, vt qui scortillorum blanditijs irretiti, suas sæpenumero ita cælo atque terræ proloquuntur miserias:

Si mihi seruitium video, dominámq; paratam,
Iam mihi libertas illa paterna vale:
Seruitium sed triste datur, teneórque catenis,
Et numquam misero vincla remittit amor.

Progrediar adhuc longiùs, liquidóque ostendam nos esse togata, tunicata, & palliata mancipia, hoc est, vt loquitur Plato, ἀνδράποδα καὶ ἀνδραπόδοις τρίχας ἔχοντα, & miserrimam seruire seruitutem:

In culpa est animus qui se non effugit vnquam:
Scandit æratas vitiosa naues
Cura, nec turmas equitum relinquit.

Nempe, vt in Iphigenia ſcripſit Ennius:

Animus neſcit quid velit: nec domi nos, nec militiæ ſumus:

Imus huc, hinc illuc: cùm illuc ventum eſt, ire illinc lubet:

Incertè errat anim⁹, prǽterpropter vitã viuitur.

Et vt auctor haud Ennio deterior Lucretius:

Si poſſent homines, proinde ac ſentire videntur
Pondus ineſſe animo quod ſe grauitate fatiget,
Et quibus id fiat cauſis cognoſcere, & vnde
Tanta mali tanquam moles in pectore conſtet,
Haud ita vitam agerent, vt nunc plerúmque videmus,
Quid ſibi quiſque velit neſcire, & quærere ſemper;
Commutare locum, quaſi onus deponere poſſit,

multáque alia in eamdem ſententiam. Talem in Mercatore Charinum noſter deſcripſit Plautus:

Súmne ego miſer, inquit, qui nuſquã bene queo quieſcere?
Si domi ſum, foris eſt animus: ſin foris ſum, animus domi eſt.
Ita mihi in pectore ac in corde facit amor incendium.

Serui ſumus igitur infeliciſſimi, & impotentiſſimos aſciſcimus dominos, qui neque noctu, neque interdiu nos conſiſtere & conquieſcere pa-

tiuntur. Nisi fortè absurdum existimatis quòd οὐράνιος ille κύων, τοὺς μὲν οἰκέτας ἔφη δεσπόταις; τοὺς δὲ φαύλους ἐπιθυμίαις δουλεύειν; eáque captiuitas multò turpior quàm quæ in bello contingit, proptereáque huius crimen culpámque in ancipites belli casus conferre possumus, illius dedecus nosmetipsi nobis comparamus qui non repugnamus, non resistimus, ac ne terga quidem vertimus; sed abiectis armis, nefarii salutis nostræ proditores, nos præbemus constringendos voluptati, quâ neque capitalior pestis humano generi; neque hostis infensior. Nobis certè quãto animus præstantior est corpore, tanto animi seruitus esse debet seruitute corporis acerbior. Nam qui hostium potiti sunt, vel fugâ se substrahere, vel pretio redimere, vel aliqua ratione ad suos sese recipere possunt; qui autem semel se cupiditatibus manciparunt, numquam ad se redeunt, nec iis vllum amplius est postliminium. Serui porrò aut censu aut testamento aut vindicta sæpe libertatem adipiscuntur: Stultos, insanos, improbos, quis liberali causa manu asseret? Quamobrem sic statuo, omnes cuiuscúmque sint ordinis ac loci, captiuos esse; etiámne sapientes? Sanè si credimus Simonidi; ex quo cùm Hieronis vxor quæsiisset diuitem esse an sapientem magis expediret? Di-

uitem, respondit; quòd pro foribus diuitum sedere consueuissent sapientes, & iis supplices esse, vt eorum opibus propulsarent grauem & odiosam inopiam. Mirũ id fortasse alicui videbitur, & Simonidis auctoritatẽ crimine auaritiæ eleuabit: Atqui virtus ipsa, ipsa, inquam, virtus, quæ tot tantisq; laudibus ad cælum tollitur, captiua trahitur, & fortunæ seruit. Neque id audias à molli aliquo philosopho, qualis fuit is qui neruos virtutis incidisse dicitur, & illud semper in ore habuisse,

τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία;

sed ex M. Bruto virtutis post homines natos studiosissimo, qui victus Philippensi pugna, cùm iam de se grauiùs cogitaret, ὦ τλῆμον ἀρετὴ, inquit, λόγος ἄρ' ἦσθα; ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν. σὺ δ' ἐδούλευες τύχῃ. Infelix virtus, nihil eras igitur præter verba? at ego te tanquam rem aliquam colebam ac exercebam; tu verò fortunæ seruiebas. Hos de captiuis tanquam centones sarcire, & quicquid occurrebat velut in satyram coniicere libuit, vbi Græca Latinis solutóque sermoni versus liberè ac de industria permiscui, ne quis me lapsum imprudentiâ in leges orationis cõmisisse arbitretur: quãdoquidem vobis istam disputationem, quocùmque nomine appelletis, non trado vt opus aliquod in Rhetorum officinis elaboratum &

expolitum. Quicquid eſt tamen haud alienum duxi, hoc præſertim tempore, quo tantus belli terror impendet, armorúmque ſtrepitu aures noſtræ circumſonant : hoc etiam menſe, qui Martis nomine conſecratus eſt, in cuius Dei comitatu, vt iræ, diſcordiæ, inſidiæ, formidines, ſtrages, ſic ſeruitutes captiuitatéſque numerantur. Accedunt ſtatæ ſolemnéſque quadraginta dierum ceremoniæ; &, vt noſter ait Plautus, eſuriales feriæ, in quibus, cùm nihil niſi caſtum & integrum ad iuuentutis eruditionem expromendum ſit, vna hæc ad pudicos mores facta deligenda fuit fabula, cuiuſmodi paucas poëtæ referunt Comœdias, vbi boni meliores fiant. Ita enim breuiſſimè veriſſiméque Plauti ipſius teſtimonio cõmendatur. Ad eam commendationem nihil eſt quod addamus : ſiquidem minimè dubium eſt, quod excolendis adoleſcentium ingeniis conformandíſque moribus plurimùm proſit, id eſſe vobis auidiſſimè arripiendum & complectendum. Mihi verò dandam operam vt ſiquam expectationem de me commouero, eam ne fallam, ſed omni cura diligentiáque id aſſequar, vt cumulatè ſatis videar feciſſe & ſuſcepto muneri, & eorum, qui audient, voluntati.

IOAN. PASSERATII IN Curculionem Plauti Præfatio.

POTERAM meo iure in huius fabulæ interpretationem rectà ingredi, & statim actores in scenam producere, ipsius Plauti exemplo, qui abuti operam in scribendo prologo nec voluit nec debuit. Quarum enim rerum caussa eiusmodi prologia reperta sunt, earum nulla vt id faceret impellebatur. Commendatione nihil egebat comœdia, nihil comicus: quia res per se ipsa iucunda erat, & poëta populo longè charissimus. Multo minùs refellenda aut regerenda in aduersarios erant maledicta, quando istuc datum Plauto, vt ab inuidia & à sibilo intactus semper è theatro discederet: quorum in vtróque acerbiore & iniquiore fato fuit Terentius. Quod autem ad explicationem argumenti attinet, commodius visum est, vt eius partem inter agendum protasis exponeret, partem inuolueret epitasis, reliqua ostenderet catastrophe: callido sanè consilio, vt scilicet incerto rei euentu suspensis omnium animis fabula spectaretur attentiùs. Ne tamen tantum sumpsisse mihi videar, quantum Plauto merito eius tribuebatur: & ne quis me arbitretur quorun-

dam

dã expectationi cònsuetudinique Academiæ defuisse, institui paucis præfari, eósque imitari gladiatores, qui ante iustam dimicationem nonnihil olim solebãt ad speciem atque pompam proludere. Dicam igitur de Curculionũ, hoc est parasitorum, ingenio ac moribus; simúlque demonstrabo à veris Curculionibus minus confici, consumíque triticum, quàm ab istis eorum fortunas, ad quos semel sese applicarunt. Nam posteaquàm rem familiarem comederunt, vnum illorũ opus est aliorũ bona & interdũ famã arrodere. Vnde canes habẽtur partim venatici, partim molossici in Captiuis:

Prolatis rebus parasiti venatici
Sumus; quando res redierunt, molossici:

qualem describit Menium Pantolabum Horatius, qui rebus maternis atq; paternis fortiter absumptis,

---- Vrbanus cœpit haberi
Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret,
Impransus non qui ciuem dignosceret hoste,
Quælibet in quemuis opprobria fingere sæuus,
Pernicies & tempestas barathrúmq; macelli.

Neque cum canibus modò, verum etiam cum muribus comparantur, vt in Persa:

Pater, auus, proauus, abauus, atauus, tritauus,
Quasi mures semper edere alienum cibum.

Quod noblissimus ille confirmauit Cynicus,

C

qui cùm intueretur sub mensa cursitantes musculos, & ea quæ sibi prandenti excidebant legentes: Ecce, inquit, & Diogenes parasitos alit. Hinc auctore Hesychio profectũ est verbũ μυσπολεῖν, in eos qui muris instar vagantur, & alienas captant epulas, eibíque caussa in arctissimum quémque locum subeunt; neque alia febri, quàm tristi domicœnio laborant. Speculatores venatorésque naturæ, id de muribus prodiderunt, generari lambendo, & delingendo salem concipere, quo modo procreatur & propagatur parasitorum genus. Præsentire dicuntur mures ædium ruinam, eáque imminente confestim aliò migrare: Sic parasiti eos continuò deserunt, quos res deserere incœpit;

Vtcúmque mutata potentes
Veste domos inimica linquit
Fortuna:
Diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici
Ferre iugum pariter dolosi;

Idque parasitis est cum pediculis commune, qui ex humanis corporibus excedunt simul, atque extinctus & exhaustus est ille, quo alebantur, sanguis. Redeo ad mures. Habiti sunt sæpe in prodigiis, adeóque dira portendere existimabantur, vt vnius soricis occentus comi-

tia populi Romani dirimeret. Huc accedit quòd nonnumquam vniuersas populantur messes, eorúmque è terra tanta plerúmque vis erumpat, vt ex Troade & Gyaro insula incolas fugauerint. Itaque Persæ, Arabes, Æthiopes, nihil maiore odio prosequebantur quàm mures, neque quicquam magis auersabantur. Idem esse de parasitis sentiendum veteres indicant Comœdiæ, in quibus nigri inducebantur, vt ex atro colore & aspectu omnes intelligerent vehementer esse fugiendos. Confert eos etiam cum cochleis Plautinus Ergasilus:

Quasi cùm caletur, cochleæ in occulto latent:
Suo sibi succo viuunt, ros si non cadit.
Item parasiti rebus prolatis latent,
In occulto miseri victitant succo suo.

Ignobiles sunt & terræ filij vt cochleæ; æquè segnes tardíque ad ea quæ recta & honesta sunt capessenda; & quocúmque ex loco pedem extulerunt, in eo nulla non apparent turpitudinis vestigia. Censentur quoque muscarum nomine ab Hegesandro, qui narrat questum esse aliquando Alexandrum, quòd à muscis (has bipedes muscas intelligebat) nimiùm morderetur, & idcirco ex aula omnes abigere statuisse: Tum verò dixisse Nicesiam, qui palmam in arte parasitica possidebat: metuendum, ne iis

exactis, aliæ recentes gustato regis sanguine multò acriùs pungerent. Scribit Varro, muscarum esse ligurire; quod, quoties data est occasio, libentissimè auidissiméque faciunt parasiti. Muscarum est quouis se penetrare, vbique adesse, scrutari omnia, vt in Mercatore:

Musca est meus pater, nihil potest clàm haberi illũ:
Nec sacrũ, nec profanum quicquam est, quò non
adsit illicò.

Quò non irrepit siue potiùs irrumpit parasitus, si nidor culinæ naribus obiectus est?

---- nec frana virûm, nec verbera sæua,
Nec scopuli, rupésque caua, aut obiecta retardant
Flumina correptos vnda torquentia montes.

Ingredientem aliquò videat cum opsonio coquum. En tibi δειπνεῖν ἄκλητος μυῖα, vt est apud Athenæum: ad cœnam inuocata confestim aduolat musca, licèt

Expellas furcâ, tamen vsque recurret.

Est enim ore ita duro, vt vel pugil esse possit: is denique postulat ab asino lanam, qui pudorem expectat à parasito: excludas, extrudas, exturbes; reuertetur, reperiet aliquam rimam, *Nec à corio vnquam exterrebitur vncto*. Ideò sacerdotibus Ægyptiis placuit muscam esse impudentiæ symbolum; nec ab eorum opinione abhorrent illa Homerica,

Ἤ τι καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο

Ἰσχανάα δακέειν.

Vt œſtrum auribus taurorum, aut

Immunis reſidens aliena ad pabula fucus,

tenaciſſimè adhæret,

Nec miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.

Conſpuatur, inceſſatur oſſibus, colaphiscædatur, frangantur ollæ in caput: omnia perferet, nec recuſabit quin reliquo corpori malè ſit, dum ſit ventri benè. Vni ventri ſe natum putat, vnius ventris curam gerit; rectéque in eum contorqueri poteſt, quod iecit in Demadem Antipater, tamquam mactatæ, conſumptæque in ſacrificio victimæ, nihil ei ſupereſſe præter linguam & ventrem. Quare ſatis facetè paraſitus Melanthius, cùm ex eo quæreretur, quo pacto Pheræorum Tyrannus, qui eum paſcere ſolebat, eſſet interfectus; gladio, inquit, per ventrem meum. Nec inurbanè vetus poëta paraſitum appellauit cancrum, quòd totus ex oculis & ventre conſtet, dentibúſque non pedibus videatur ambulare. Bono ſanè diligentíque patrifamilias non minùs ſuis inimici infeſtíque paraſiti, quàm apibus cancri, quorum odore ſolo necantur: &, vt ex cancris oriuntur ſcorpiones, ita ex blandis hominibus, ſæui truculentíque obtrectatores repentè exiſtunt. Omnes Protei formas induunt. Nihil magis varium ac flexibile: ſæpiùs

mores, vultum, & sermonem mutant, quàm colores Chamæleon. Verbi gratia, Stilpontem Megaricum Alexis sophista, idémque parasitus, atrocibus conuitiis probrisque lacerabat absentem: cui vnus ex iis, qui fortè aderant: Atqui certè Stilpon de te semper honorificè loquitur. Tum Alexis nihil commotus, nec veritus palinodiam, per Iouem Stilponte meliorem virum noui neminem. Nimirum id obseruabat, quod præcipit Theognis:

Πολύποδος νόον ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ,
Τῇ προσομιλίζει, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.

Parent huic præcepto parasiti, polypi ingenium sibi comparant, qui quemcúmque ad scopulum, quodcúmque ad saxum sese affixerit, protinus eius colorem refert. Probat eam vitæ rationē in Bacchidibus seruus Chrysalus:

Nullus frugi esse potest homo, nisi qui & bene & male facere tenet.
Improbus cum improbis sit, harpaget, furibus furetur quod queat.
Versipellem frugi esse conuenit hominem, pectus cui sapit.
Bonus sit bonis, malis malus:
Vt cúmque res sit, ita animum habeat:

Excelluerunt in eo genere ij, qui Dionysio colaces cognominati sunt. Nam cùm Dionysius parum oculis vteretur, idem sibi vitium esse simulantes, huc illuc porrecta manu, patinas

in mensa quæritabant, subuertebant, frangebántq; de industria calices. Ac si quando Dionysium cùm amicis ridentem conspexissent, quamuis procul stantes, in cachinnos effundebantur: caussámq; sciscitāti Dionysio, negabāt fieri potuisse quin res illa perridicula esset, quæ ipsi risum mouisset. Par erat Clisophi cuiusdam improbitas, qui rege Macedonum Philippo, ex vulnere, quod acceperat in sura, claudicante, eodem pede se fingebat claudicare; & Philippi oculo lana obuoluto, suum ipse oculum lanea fascia obduxit. Turpes simiæ, & simiarum tamen vna in re dissimiles; quòd, dum homines imitantur, capiuntur simiæ; parasiti verò dum reges suos effingunt, eos in suam redigunt potestatem. Meministis, qua tractet arte Pyrgopolinicem Artotrogus in Milite glorioso:

---- nempe tu illum dicis cum armis aureis,
Cuius tu legiones difflauisti spiritu:
Quasi ventus folia, aut panniculam tectoriam.

Mox: *---- Pol siquidem*
Connixus esses, per corium, per viscera,
Pérque os elephanti, brachium transmitteres.

Paulò post: *---- centum in Cilicia,*
Et quinquaginta centum Sycolatronidæ,
Triginta Sardi, sexaginta Macedones,
Sunt homines quos tu occidisti vno die.

Quãta istæc hominum summa est? septem millia.
Quid in Cappadocia, vbi tu quinquagenos simul
Nî hebes machæra foret, vno ictu occideres?

Ista dum audit fatuus miles, vltro addicitur mancipatúrque Parasito:

Communicabo te, inquit, *semper mensa mea:*
Loquere, aures meas dedo in ditionem tuam.

Videte quã facilè, dum laudatur inanis auidus gloriæ à parasito, de mentis statu deiicitur: huic idem contigit, quod suibus accidit; qui, dum fricantur, ita se tractabiles præbent, vt nullo negotio humi sternantur. Trecentis orationibus nemo eorum dolos, fraudes, scelera complecti queat; *ijs nomina mille, mille nocendi artes.* Modò videntur aucupes, qui imitatione vocis cuiúsque, insidias auibus struunt: modò vmbræ, quæ cum corporibus omnem in partem flectuntur. Nunc speculi more cuiuslibet rei obiectæ reddunt imaginem. Vim habent cantharidum, quæ in rosis delitescentes, venenato mortiferóq; aculeo incautos fodiũt. Vbi enim in familiaritatem alicuius falsa beneuolentiæ specie se insinuarunt, ex cordato stultum, ex stulto insanum efficiunt. Leues homines atque fallaces, qui ad voluntatem loquuntur omnia, nihil ad veritatem, & quasi rotæ figulorum, ad alterius sensum nutúmque celerrimè conuertuntur, vt Terentianus Gnatho:

Negat quis? nego: ait? aio: postremò imperaui,
Omnia aßentare. (*egomet mihi*

In hanc sententiam multa de assentationis peste differuntur à Cicerone, cùm in Lælio, tum in libro de Officiis primo: *Cauendum est*, inquit, *ne assentatoribus patefaciamus aures, néve adulari nos sinamus, in quo falli facilè est. Tales enim nos esse putamus, vt iure laudemur, ex quo nascuntur innumerabilia peccata, cùm homines inflati opinionibus, turpiter irridētur, & in maximis versātur erroribus.* Quamobrem Passienū Crispum valdè miror, qui voluit assentationi apertam esse interdum ianuam, cùm ei potiùs omnes ad nos aditus intercludendi sint; quemadmodum vir sapientissimus, cerâ sociorum aures obturauit, séq; ad nauis malum fortiter astringi iussit, ne ad Sirenum scopulos adhæresceret,

Difficiles quondam, multorúmque ossibus albos: nisi fortè eos qui assentatoribus delectantur deorum exemplo defendere voluit, vt Agis parasitus Argiuus, qui suos esse diis parasitos dictitabat, Ioui Vulcanū, Cercopas Herculi, Libero patri Silenos. Quanto veriùs Antisthenes, qui satius esse ducebat, in coruos, quàm in assentatores incidere; quòd illi mortuos tantùm, hi verò etiam viuos dentésque depascerentur. Maior est in Græcis verbis propter annominationē lepos: κρεῖττον εἰς κόρακας,

ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν. οἱ μὲν γὰρ νεκροὺς, οἱ δὲ ζῶντας ἐσθίουσιν. Princeps quoque philoſophorum *in Phædro*, aſſentatorem eſſe ſcribit teterrimam belluam; Et Bias interrogatus, quod animal omniũ maximè noxium eſſet? è feris, inquit, Tyrannus; è cicuribus, aſſentator. Præterea Crates tã eſſe deſertos aiebat, & opportunos prædæ, qui inter aſſentatores, σιτοχόρους, ἀλεξήτους, καὶ μάτην τρεφομένους viuerent, quàm vitulos, qui inter lupos verſarẽtur. Habet quidem aſſentatio iucunda principia, vt apud Cornificium legimus, verùm eadem exitus affert amariſſimos. Abundãt exemplis hiſtoriæ, multóſque principes commemorant, qui ex florentiſſima fortuna in extremam calamitatem aſſentatorum operâ deuenerint. Totius orbis victorem Anaxarchi vicit & perculit aſſentatio, poſtquam ei perſuaſit ius fáſque eſſe regibus quodcúmq; libuiſſet. Democlides & Stratocles Demetrium Antigoni peſſundederunt. Ex ſublimi tyrannidis opulentiſſimæ ſolio, in humilem ludi literarij cathedram ſui paraſiti Dionyſium deturbarunt. Tarentinus Procudes eius Philippi ſubuertit imperiũ, de quo triumphauit Flaminius. Andromachus, M. Craſſum qui ſe totum eius aſſentationi permiſerat, cum vniuerſo exercitu Parthis prodidit. Cæſari Iulio necis cauſſam præbuit M. An-

tonius, cùm in ciuitate regium nomẽ, & vnius dominatũ perosa, regni insigne per adulationem Lupercalibus obtulit. Eundem Antoniũ amore Cleopatræ, ad insaniam vsque incensum, assentatores afflixerunt. Tiberios, Nerones, & cætera principum portenta enumerare pudet; & periculum est, si velim singula huius vitii incommoda persequi, ne ex argumento comico nascatur tragœdia; néve ex Curculione, tamquam ex musca, videar Elephantum facere voluisse. Melius est igitur statuere modũ huic, siue orationi, siue poëmati, siue vtriq; & fortasse neutri. Libuit enim effutire quicquid in buccam, & abiectum parasitum, veluti mimum producere vili amictum centunculo. De Plauto alio loco satis multa, de me verbum nullum faciam, vt nihil præstare cogar, qui nihil audeo polliceri.

IOAN. PASSERATII IN Militem gloriosum Plauti Oratio.

ACCVSARI silentium meum à multis, quòd tandiu patior, Auditores, vereor ne otium potiùs quàm officium sequutus videar; aut priuatis, quàm vestris omnium rationibus seruisse libentiùs. Vtrúmque tamen & reipsa, & meæ vitæ perpetua consuetudine fa-

cilè refellitur. Nam neque vllū existimationi vmquam antepofui commodum: & quo tempore cæteris dabatur huius muneris vacatio, mihi obiectum eſt cum neceſſitate parendi, negotium hoc onere docendi longè grauius ac moleſtius. Cuiuſmodi fuerit iſtuc, nihil attinet dicere, me ſanè ad Idus vſque Ian. ſine aliquo laboris fructu vehementer exercuit. Huc acceſſit oculorum parum proſpera etiámnum valetudo, cui vtinam nemo ignoſcat, modò ea mihi cauſſa ſontica eſſe deſinat. Habetis purgatam ex parte ceſſationis ſuſpicionē: accipite quæ conſequuta ſunt vt me deſidiæ inertiæque culpa prorſus liberetis. Confecto quod imperatum erat negotio, iiſque veluti compedibus exſolutus, vltrò in viam regrediebar? iam Plauti militē formis æneis curaueram excudendum; iam librum in manus ſumpſeram; & me ſuſcepto inſtantem operi extremus vidiſſet Ianuarius, niſi tranſuerſa incurriſſet alia magis incommoda valetudo, méq; lecto morbus afflixiſſet, quo qui tentantur, inter curſores & pugiles nomen non profitentur ſuum: nec pugnis & calcibus committunt, vt ſecum agi poſſit iniuriarum. Odioſum eſſet commemorare quàm dirus ac penè feralis mihi extiterit Februarius: quibus me februis & piaculis luſtrauerit: tantùm dicam vobis, vno dumta-

xat intercalari die, mihi longiorem ſæculo fuiſſe. Diuturnitas enim & magnitudo cruciatus, quicquid habebam virium & lacertorum, comminuit: neruos eliſit: coëgitque tandem fateri, eum, quem vocant motum aſperum in corpore, à ſenſibus alienum, ſi non in malis, at in rebus eſſe valdè fugiendis: quicquid Zeno & Chryſippus, cum ſuis adſtipulatoribus, contrà garriant & argutentur. Itaque Stoïcos virtutis robur ſupra vim & naturam humanam æſtimantes, à me dimittebam, exploſáque eorum incredibili & abſurda opinione, comprobabam Hieronymi Rhodij περὶ ἀναλγησίας ſententiam. Sub Nonas autem Martias me acerrimis doloribus perfunctum eſſe, Gallúmque Æſculapio debere arbitrabar: & ecce tãquam proſtratus ſemel, nec ab aduerſario iugulatus gladiator, quem infeſti ſpectatores in arenam reuocant, iterum iubeor decumbere. Verùm Dei Opt. Max. benignitate recreatus, teſtudineum mouere gradum cœpi, méque ad intermiſſa ſtudia referre, vt ſaltem ex inſtituto Romuli, anni rerúmque redeuntium à menſe Martio initium ducerem. Militem quoque noſtrum putabam opportunè menſe Marti ſacro prodíturum, quo vobis egregius bellator ſua narraret facinora, pugnatáſque in vmbra & ſine teſte pugnas prædicaret: ſed neſcio quo

pacto idem Venerius nepotulus Veneris mensem expectare maluit. Consilio id factum meo si quis arguet, haud inficiabor; & hoc amplius concedam, me, postquàm ex trimestri morbo emerseram, mihi ad ludum & quietem aliquot dies pro meo iure sumpsisse: præsertim cùm inuitaret verni temporis suauitas, & Herculis Euripidei auctoritas impelleret.

Παίζω, *inquit Heroüm fortissimus*, μεταβολάς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ.

Satis ista de me, ac fortasse plus satis; de huius fabulæ argumento; ne morem, quem semper tenui, non obseruem, pauca nunc disserantur. Post coërcitam veteris comœdiæ nimiùm proteruam & petulantem licentiam, Poëtæ, vt ait Horatius,

---- vertêre modum, formidine fustis
Ad bene dicendum delectandúmque reducti:

remotóque choro, & satyris in syluas cum sua canina facundia relegatis, nouam inierunt rationem populi ab iis quæ turpia sunt absterrendi, proposita scilicet sicut in speculo vitæ communis imagine. Quamobrem stultos, auaros, & morosos senes: adolescentes prodigos & intemperantes: mulieres mulieres: callidos & furaces seruos: meretrices improbas: periuros lenones: impudentes sycophantas: edaces parasitos: pestiferos assentatores;

& id genus homines, in scenam induxerunt. Cùm enim simus in aliorum peccatis Lyncei, in nostris Thamyræ: nec ferè quisquam respiciat manticæ quod in tergo est, sapientibus viris placuit, vera & peruagata vitia fictis personis tribuere, in quibus irridendis, tota theatra magnos clamores excitarent. Quod à Lacedęmoniis petitum esse constat exemplũ, qui in publicis conuiuiis, quæ appellabant Phiditia, temulentos Ilotas pueris ostendere consueuerant, vt inde intelligerent quàm fœda, & homine libero indigna, esset ebrietas. Atqui certè, si Theophrasto credimus, est quædam δόξης μέθη, quæ in hac fabula potissimùm cernitur, ebriisque similes euadunt admodum sitientes gloriæ. Similes dico? imò multò est deterior ebrietate inconsulta gloriæ cupiditas; & huic, quàm illi, est difficilius mederi. Nam, vt obiter emendatum proferam Laberij mimographi senarium,

Homo ebriatus somno sanari solet:

At quos aculei gloriæ pungunt, ij nequeunt quiescere; quod ob Miltiadis trophæa contigisse ferunt Themistocli. Velint, nolint, etiam vinosissimi, erit aliquis bibendi modus: non erit vllius gloriæ: ac si quos sibi pepigerit terminos, eos continuò euellet vlteriùs progrediendi inexplebilis libido. Ideo Alexan-

der, tot peragratis regionibus, tot gentibus victis, cùm disputaret Anaxarchus innumerabiles esse mundos, illacrymauit, suámque vicem conquestus est, quòd nondum vno potitus esset. Multa ebrij temerè & periculosè faciunt: Quis tamen ebrius, Deus immortalis haberi dum cupit, vt Agrigentinus Empedocles, in ardentes Ætnæ crateras sponte sua insiliit? aut, vt Herostratus, ne ignobilis & inglorius moreretur, celeberrimum pulcherrimúmque orbis terræ templum incendit? Multa ebrij ridiculè: quid ambitiosi? Rex regum Xerxes, qui ambulauit maria, & nauigauit cõtinentem, stimulis fodiebat Hellespontum: fluctibus plagas infligebat; & montibus per legatos minabatur. Lysimachus occupata Thracia, quasi Europam & Asiam armis subegisset, se hastæ cuspide gloriabatur cœlum contingere: ibi Pasiades Bisantinus oppidò perquàm facetè, Amici, colligamus sarcinulas, inquit; & priusquam hastæ istius mucrone terebratum cælum in nos ruat, celeriter hinc facessamus. Pyrrhus Aquilam se cognominari voluit; Antiochus Accipitrem: Clitus, ob demersas tres vel quatuor hostium triremes, Neptunum: Demetrius & Clearchus Heracleæ tyrannus, Iouem: M. Antonius triumuir, Liberum patrem. Prætereo cum impietate

tate coniunctã Idæ, Capanei, Achillis, vtriúſque Aiacis, & Mezentij militarem ferociam atque inſolentiam: Venio ad diſcipulum Antiſthenis, qui cùm intueretur in δόξῃ πεφυσημένους dictitabat, οὐδὲν εἶναι ματαιότερον ἀνθρώπου· καὶ τοὺς στεφάνους ἀπεκάλει δόξης ἐξανθήματα· καὶ τοὺς τρισανθρώπους, ἀντὶ τοῦ τρισαθλίους. Verè iſtuc equidem Cynicus nobiliſſimus, nihil eſſe ſtultius homine, qui ſe gloriæ mancipauit: coronas eſſe bullas gloriæ: & eos, qui dicendo laudem captant, gloriámque apud imperitam multitudinem aucupantur, ter homines, hoc eſt, ter eſſe miſeros. Nec minùs rectè profectò in Bacchi pompa, furoriſque & amentiæ comitatu à bono poëta numerantur

--- Cæcus amor ſui,

Ac tollens vacuum plus nimio gloria verticem.

Eo in genere eſt δοξοσοφία, quæ plures ſectas peperit quàm Hydra Lernæ capita: artiúmque parentem & magiſtram virtutum diſcerpſit philoſophiam. In eodem δοξοκαλία, qua formoſi nobis noſtra cum pernicie videmur, vt in fabulis Narciſſus. His adiunge δοξοκοπίαν, δοξομανίαν, vnóque nomine κενοδοξίαν, quæ falſa honeſtatis ſpecie mortales incautos in fraudem alliciunt, adamantiníſque vinculis irretitos tenent. Reperias enim multos qui neque paupertatem aut morbum reformidant:

neque terrore mortis deiiciuntur de statu: neque iracundiæ impetu exeunt de potestate: titillanti verò gloriolæ, ceu molles ac delicatæ mulierculæ, non valent resistere. Quare maximum in eo certamen suscipiendum est, summáque contentione dimicandum, vt appetitum obtemperare doceamus rationi: siquidem intus est proditrix φιλαυτία quæ nobis omnibus innascitur, sopitísque arcis nostræ custodibus, assentationi hosti portas aperit: Quamuis illa intromissa non palam & statim irruat, sed clam & pedetentim irrepat: deinde quibusdam laudum ac blanditiarum præstigiis illudat sensibus: ac postremo lumini mentis vndique circunfusa, quid rectum aut prauum sit discernere vetet in tanta erroris caligine. Tunc animi iudicio, velut auriga perturbato, ater, refractarius, ac sternax Platonis equus, per ardua, per decliuia: per plana, per aspera: iugalem alterum frustra renitentem secum abripit, nec ante consistit quàm agitatorem curru excutiat. Quantæ hinc editæ strages commemorare longum esset;

Hoc Crassos, hoc Pompeios euertit, & illum
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites:

vt inquit Satyricus Aquinas, eóque antiquior elegantiarum Neronis arbiter Petronius:

Tres tulerat fortuna duces, quos obruit omnes
Armorum strue diuersa feralis Erinnys.
Crassu Parthus habet, Libyco iacet æquore Magnus,
Tertius ingratam perfudit sanguine Romam;
Et quasi non posset tot tellus ferre sepulcra,
Diuisit cineres: hos gloria reddit honores.

Superuacaneum est in conquirendis exemplis operam & orationem consumere: paucissimos in altum prouexit gloria, qui, licèt initio secundissimis ventis ferrentur, non ad extremum ipsius gloriæ, & fortunarum simul omnium fecerunt naufragium. Et quisquam tot labores subit, séque tot periculis obijcit, eius rei caussa quæ nascitur ex sermone populi! posita est in assensione imbecillæ multitudinis imperitæ, & ex fama pendet, qua quid esse potest vanius, leuius, & inconstantius? Sed plura persequi, neque est huius loci, neque temporis, argumentóque fabulæ statuendus est modus, de quo M. Tullij aureum extat præceptum, nec tam inscribendum chartis quàm vniuscuiúsque memoriæ. *Deforme est de seipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitare militem gloriosum:* Vbi dubium non est quin stolidum hunc nostrum Militẽ significet, qui eam inanis gloriæ mercedem accipit, vt deludatur, compiletur & vapulet. De Plauti laude, quem promũ con-

dum antiquitatis Romanæ & Latini ſermonis auctorem optimum optimi iudices pronuntiarunt, à me nihil eſt expectandum: neque de origine, præſtantia, vſu, generibus & partibus fabularum. Iſta iam in ſuperioribus comœdiis explicata ſunt, & eadem apud eoſdem iterare putidum eſſet. Eoſdem appello, quamuis, vt maritimi fluctus, alij veſtrûm accedant, alij recedant. Ex Philoſophis enim & Iuriſconſultis didicimus, pleríſque partibus aut capitibus mutatis, nihilominus idem corpus & eandem rei ſpeciem permanere. Dixi 1580. 27. April.

IOAN. PASSERATII IN PSEV- *dolum Plauti, Præfatio.*

NON temerè id eſſe ſemper exiſtimaui, quod in quadam veris deſcriptione ait Horatius,

Dicunt in tenero gramine pinguium
Cuſtodes ouium carmina fiſtula:
Delectántque Deum, cui pecus & nigri
Colles Arcadiæ placent.

Nam mihi videtur, velut aliud agens, doctiſſimus poëta ſcenæ comœdiæque originem innuere voluiſſe. Primis enim temporibus, rudique illo ſæculo, paſtores

Extremæ ſub caſum hyemis, iam vere ſereno, in alicuius luci vmbra denſiſſima, ruris præſides Deos carminibus inconditis venerari & demulcere conſueuerant. Inde fluxit origo ſcenæ, & ab his profecta comœdia principiis, paulatim ex agris in vicos; & ex vicis in oppida ſe contulit, vt optimi auctores prodiderunt. Itaque huius antiquitatis memor, cum Zephyris & hirundine prima, decreueram in ſcenam prodire, abſque vllo edicti prætorij metu, & ſine infamiæ periculo Plautinam agere comœdiam. Sed totis menſibus Februario & Martio, adúſque nonas Apriles, ſe tanta vis effudit imbrium, vt anni pueritiam, aquarum intemperies obrueret; multíque mirarentur vrnam Aquarij, Iugulam, Vergilias, & ſuculas non eſſe penitus exhauſtas. Poſtquam liquidior affulſit tempeſtas, aduerſa me valetudo, & anniuerſarius pedum inuaſit dolor, domíque inuitum detinuit, donec ad Calendas Maias peruenimus. Nondum tamen à me vobis præſtituta dies præteriit, ſi C. Verris opinioni credimus, qui veris initium non à Fauonio, neque ab aliquo aſtro notabat; ſed cùm roſam viderat, tunc ver incipere arbitrabatur. Certè quocúmque modo ſe res habet, non antè mihi adeſſe licuit, neque potui maturiùs ad conſtitutum, etiamſi ob deſertum

vadimonium mihi caussâ cadendum fuisset. Hanc à me excusationem, æqui, vt spero, accipient: iniqui autem vereor ne meum de suscepta interpretatione Pseudoli consilium improbent, quod ibi perditus amator Callidorus, periurus leno Ballio, cuiuslibet fraudis & fallaciæ architectus inducitur Pseudolus. Siccine, inquient, instituis adolescentes? Eáne tu ætati teneræ & imbecillæ ad conformandos mores exempla proponis? Dii melius! inquam: fugienda istæc, non imitanda iuuentuti proponuntur: quanquam, vt nunc sunt hominum ingenia, non est quòd in nequitiæ ludum mittas: libidines non indigent magistris: nimióque faciliùs voluptatum illecebris deliniti, virtutis obliuiscuntur, quàm vt ad eam perdiscendam operam & studium adhibeant. Vetera & peruagata indicamus vitia, non monstramus noua: & hæc nisi fierent in vita, non agerentur in comœdiis: Vt enim in speculis corporum effigies, sic in comœdiis variæ animorũ expressæ cernuntur imagines. Suas illic quisquis agnoscet cupiditates, pudore ab iis fortasse reuocabitur; nec ampliùs committet, vt ridiculis materiam præbeat histrionibus. Sint ergo amatores in comœdiis: vnde, quæso, nisi ex vrbibus, vbi luxuries & otium creantur; morbi duo quibus maximæ ægrotant, & sæpe

moriuntur ciuitates? An quod de cæca rerum humanarum arbitra fortuna dixit Plinius, non veriùs de cæco Veneris puero dicetur, eum in rationibus mortalium solum vtrámq; paginam facere? Peierant in comœdiis lenones; simile monstri esset si seruarent fidem, quibus iusiurandum *emplastrum est æris alieni*; vt loquitur Laberius; vel vt Pacuuius ait, *mantile quo quotidianæ extergentur noxæ.* Quid quòd in iisdem comœdiis, lenones pœnam periurii sui, cùm diuinam tum humanam, sufferunt; exitium scilicet & dedecus? Afficiuntur damnis & contumeliis, irridentur, exsibilantur, vapulant, abducuntur in neruum, profani habentur, impii, scelesti, nefarii, sacri, & intestabiles: A Ballione ad Pseudolum, hoc est à periuro ad mendacem transeamus, quando mendacia periuriis finitima sunt, vt M. docet Tullius. Mentitur & fallit Pseudolus: seruile est mentiri, bonóque viro & liberali indignum; neque Plautus aliter censuit, cùm mendaciis turpem constituit exitum, vt fabulæ ostendit catastrophe, in qua fallaciæ, præstigiæ, & sycophantiæ Pseudoli, in scorta, conuiuia, fœdissimámque ebrietatem desinunt. Si tamen repente hic existet, & apud iudices non seuerissimos suam aget caussam Pseudolus, vltro de mendacio cõfitebitur, & argumẽtis vincet,

eam fraudẽ sibi fraudi esse non oportere. Principio assumpto pallio, barbáque philosophabitur, séque Platonis auctoritate defendet, in libro de Republica tertio: τοῖς ἰατροῖς καὶ ἄρχουσι προσήκει ψεύδεσθαι. Cùm Plato magistratibus & Medicis nõ putet indecorũ esse mentiri, contendet sibi mentiri licuisse, vt argentariæ heri minoris inopiæ eo pharmaco mederetur. Deinde acuminibus dialecticorum punget aduersarios, & negabit sublatis mendaciis, quicquam opus esse vniuersa ratione disserendi. Tum implorabit Iurisconsultorum fidem; quorum è numero fauet mendaciis Paulus in lege *Electio, de noxal. action.* Neque hæredi, inquit, neque in hæredem, quòd defunctus mentitus est, actio danda, nec in ipsum quolibet tempore: laudabit, & testem Vlpianum in lege prima de dolo malo: Dolum esse quendam bonum, (sic Græci καλὴν καὶ ἐπαινετὴν πανουργίαν vocãt,) maximè si quis aduersus hostẽ & latronem quid machinetur: Communem omnium hostem lenonem à se dolo superatum, id iactabit esse palmarium. Nixam esse mendacio probabit reginam fori, & concionum moderatricem eloquentiam, vt eximius orator M. Antonius dictitabat, neq; pensum suum absoluere posse, nisi circumuentis auditorum mentibus, offusáque tribunalibus & subselliis multa

erroris caligine. Historiæ Græcæ & Latinæ exordia ab anilibus fabellis repetet, historiæque parentem Herodotum mendacissimum falsi coarguet, in eo præcipuè quòd Persas à mendacio scribit tantopere abhorruisse: quoniam manifestum est ex magicarum artium vanitate, tot sæculis damnata, Persarum Magos fallendi mentiendíque nobilissimam disciplinam reperisse, posterísque vt arcana quædam & mysteria tradidisse. Iam verò Poëtæ vsque adeo falsa confingere, & quod nusquam est gentium excogitare coguntur, vt si vera semel mandare versibus cœperint, continuò nomen suum amittant. Commemorabit iura belli, plures insidiis quàm aperto Marte partas victorias: magnos Imperatores ex Lysandri Lacedæmonij præcepto vulpinam interdum assuere pellem leoninæ; Vlyssísque armis quàm Aiacis, feliciùs ad Troiam pugnatum esse: Versabitúrque in ore tragici sententia: *Cùm contendi nequitum est vi, clam tendenda est plaga.* Hortabitur vt Deæ sapientissimæ monitis cuncti pareamus, quæ suadet Telemacho vt inimicos de medio tollat ἢ δόλῳ ἢ ἀμφαδόν. vnde apparet eos hallucinari, qui hæc verba Chorœbo Virgiliano, vt stulto, affingunt,

--- dolus, an virtus, quis in hoste requirat?

Ac, quoniam in Deorum mentionem incide-

rit, Mercurij Venerisque præpotens inuocabit numẽ; quorũ alter fraudibus & furtis præest; altera, δόλιος, δολιόφρων, δολοφρονέουσα, καὶ πανοῦργος, ab Euripide cognominatur: quod vt ait Maro,

---- *dolis ridet Cytherea repertis.*

Numerabit inter mendaces Apollinem, de quo infrà cõmodiùs: neque ipsum prætermittet Iouem, qui, vt est in Amphitruone Plauti,

versipellem se facit, quando lubet.

Quæret, si mentiri sit iniustum, cur terra mater, quæ & est & appellatur iustissima, non rarò agricolis mentiatur, & cultores suos fallat. Vulgò enim hæc nota sunt,

----*spem mentita seges:*

Et, *verberata grãdine vineæ, Fundúsq; mẽdax.* Mari Neptunóque nihil esse dicet fallacius, & iure queri Palinurum, quòd

---- *toties cæli deceptus fraude sereni.*

Quare nihil se noui fecisse, quòd fefellerit, aut mentitus sit; cùm philosophi, iurisconsulti, oratores, historici, poëtæ, imperatores, homines, dii, deæque, cælum, terræ, maria, fallant & mentiantur. Eodem alia quamplurima congeret, velut id ex Ciceronis Ligariana, *honestum esse quoddam & misericors mendaciũ*: vt Hypermnestræ laudem ob insigne erga patrem mendacium ex suauissimis Lyrici Venusini versibus:

Vna de multis face nuptiali,

Digna, periurum fuit in parentem
Splendidè mendax, & in omne virgo
Nobilis æuum.

Aurem ei vellet Theognis, & hoc à se dictum iubebit meminisse:

Πουλύποδος νόον ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ
Τῇ τῷ ὁμιλίῃ τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.

Occurret maxima eorum turba, qui vota Lauernæ suscipiunt, & ita concipiunt preces:

---pulchra Lauerna,
Da mihi fallere: da iustum sanctúmq; videri:

nec diram imprecationem metuunt ex sollemni iurisiurandi per Iouem lapidem formula: *si sciens fallo, tum me Diespiter, salua vrbe arcéque, bonis eijciat, vti ego hunc lapidem:* Censent enim eum à lapide minimùm distare, qui timeat periurij testem & vindicem silicem. Interpretabitur esse dictum de omnibus ciuitatibus, quod de vna Crotone scripsit in Satyrico Arbiter Petronius: *Si vrbanioris notæ homines sustinetis semper mentiri, rectà ad lucrum curritis. In hac vrbe non literarum studia celebrantur; non eloquentia locum habet; non frugalitas, sanctíque mores laudibus ad fructum perueniunt: Quoscúnque homines in hac vrbe videbitis, scitote in duas partes esse diuisos: Nam aut captantur, aut captant:* & quæ sequuntur apud Petronium. Præterea nobis obijciet

non tantùm multitudinis conſenſum, verum etiam eorum iudicium qui ſedent ad gubernacula, rempublicam adminiſtrant, & magiſtratus gerunt; proprium eſſe munus ciuilis prudentiæ, vti foro, ſeruire tempori, induere Theramenis cothurnũ, mutare velificationem pro ratione tempeſtatis, verſare naturam ſuam ac tegere; quæ omnia Aquiliana doli mali definitione continentur, *cùm aliud agitur, & aliud ſimulatur.* Vbi inter hæc præſidia defenſionis ſuæ, & cauſſæ firmamenta, aquam ſibi videbit propemodum effluxiſſe, & aliquando perorandum; tunc ita cuncta miſcebit ac perturbabit: ſic in atramento ſuo ſepia deliteſcet, vt à Prætore in conſilium miſſi iudices, niſi abſoluant, omnino pronuntiaturi ſint, *non liquere.* Nos quoque ea de re amplius quæramus, & amplectamur ἀπιςίαν Epicharmi; ne iure à Pſeudolo irrideamur, quòd ab eo parum cauiſſe videamur, qui in hac fabula monuerit, prædixerit, antè denuntiarit; ne quid ſibi crederetur. Atque hoc idem philoſophorum princeps iam olim præceperat in libro legum ſexto, his verbis: οὐ γὰρ ὑγιὲς οὐδὲν ψυχῆς δούλης, οὐδὲν πιςεύειν οὐδέποτ' οὐδὲν τῷ γένει δεῖ τὸν νοῦν κεκτημένον. Nihil, inquit, ſani, nihil ſynceri, in eiuſmodi ſeruorum ingenijs, neque quicquam illis credere decet

eum, cui cor ſapiat. Non expectatis, opinor, vt hîc vobis commendem Plauti fabulas; Inuendibili merci, vt ait in Pœnulo Agoraſtocles, oportet vltrò emptorem adducere:

Proba merx facile emptorem reperit, tametſi in abſtruſo ſita eſt.

Pergam igitur ad nomen ipſum Pſeudoli, quod huic inditum eſt comœdiæ. Seruis comicis nomina imponuntur, inquit Grammaticorum eruditiſſimus: vel à nationibus, vt Myſis, Syrus, Dauus, Geta: vel ex accidentibus, vt Leſbia, vinoſa ab inſula Leſbo, vini optimi feraciſſima: aut ex qualitate corporis, vt Chylacus: aut ex ſpecie formæ, vt Pinacium: aut ex negotio, vt Chryſalus: vel à moribus & vernilitate, vt Pſeudolus. hæc ille. Dictus eſt Pſeudolus, quòd ψευδολογεῖν ſoleret, totúſque fraudibus & mendaciis conſtaret. Sic à Varrone Satyra quædam inſcripta fuit Pſeudolus Apollo, cuius mentio fit apud Nonium, in verbo vagare, & in excalceare: Qua in Satyra non agebatur περὶ ἀναστάσεως θεῶν, vt vir multiplicis ac recõditæ doctrinæ exiſtimauit, quòd ſeruiſſet Admeto, neque agnitus fuiſſet: ſed περὶ θεῶν ματαιώσεως, vt in melioribus Nonii codicibus inſcribitur, & ab aliis iam animaduerſum eſt; quòd vanitas, mendacia, & impoſturæ oraculorũ, præcipuè Apollinis, eâ Satyrâ

Varronis exagitarentur. Sanè Pseudolum Apollinem significat apud Euripidem Orestes in Iphigenia in Tauris, hoc senariolo: ἡμᾶς δ' ὁ φοῖβος μάντις ὢν, ἐψεύσατο, ex quo expressum id ab optimo Poëta in sexto libro Æneïdos;

--- namque mihi fallax haud antè repertus,
Hoc vno responso animum delusit Apollo:

Nec absurdum est eódem Ennium respexisse in Thyeste: *Et me Apollo ipse delectat, ductat Delphicus.* Nomen autem seruile plerísque indidit Plautus fabulis, vt Pseudolo, Sticho, Epidico: propterea quòd astuti & callidi seruuli primas in iis comœdiis partes sustinent, vt in Apologis Æsopi vulpeculæ. E' Plautinis verò fabulis, ipsius iudicio Plauti, duas maximè fuisse comprobatas, ostendit apud M. Tulliũ Cato, in libro de senectute: *Quid in leuioribus studiis,* inquit, *sed tamen acutis, quàm gaudebat bello suo Punico Næuius? quàm Truculento Plautus? quàm Pseudolo?* Gauderet etiamnunc Pseudolo, si viueret; at Truculento ingemisceret, tam lacero, manco, & mutilo, vt sine veterũ librorum ope, ei facere medicinam, ne optare quidem audeamus. Reuertor ad Pseudolum: vigebat tum adhuc in theatris & actionibus nobilissimi histrionis, celebrabatur Ciceronis tempore, vt ista declarant ex defensio-

ne Q. Roscij, vbi eius aduersarium Chæream quendam insectatur, qui capite & superciliis semper erat rasis, ne vllum pilum haberet viri boni. Cuius personam, inquit, præclarè in scena tractare Roscius consueuit. Nam Ballionem illum improbissimum & periurissimum lenonem cùm agit, agit Chæream. Ex Ballionis autem cõmemoratione, fabulam Pseudolum intelligi nemo ignorat: cuius ego prologum nolo attingere, quia certum est non esse Plauti. Cur enim in scribendo prologo hic operam abuteretur? An ad conciliandam populi beneuolentiam, attentionem, & silentium? At solo Plauti nomine, histrio, quasi iussu magistratus præco, faciebat audientiam. An vt aduersariorum maledicta & calumnias refelleret? At, ne mortuus quidem, aduersarios in scena vllos habuit: datúmque istuc poëtæ nostro vt omnes eius starent comœdiæ, cùm nescio quo fato, vix vmquam suis Terentius potuerit tutari locum. An vt argumentum narraret fabulæ? At id aperiet, magnáque ex parte Pseudolus eloquetur perendie. Crastinus enim dies Diuo gentili meo sacer est: & in hac bibliopolarum regione, vt olim in monte Albano, sunt Latinæ feriæ.

PRÆFATIO IN PLAVTI *Menæchmos.*



VETVS illud est, & crebro vtriúsque linguæ sermone celebratum, multos in amicitia simul edendos esse salis modios: quoniam in tam occultis ingeniis, támque varia hominum natura, difficillimum est bene nosse qualis sit, quicum ætatem degere constitueris; nisi quotidiano conuictu, assiduáque cõsuetudine, eius mores penitus perspectos habeas. Istuc autem quod in explendo amicitiæ munere à sapientibus præcipitur, mihi etiam videtur in legendis, intelligendísque optimorum auctorum libris, esse diligenter obseruandum, & in Plauto maximè: apud quem plurimum salis delingat oportet, qui sibi eum familiarem efficere cupiat: noctes & dies cum eo versetur: confabuletur sæpissimè: sciat quibus ludat iocis, abstrusos eliciat sensus: distinguat ambiguos: vim omnem verborum: & rerum non ignoret acumen: existat denique alter Papyrij Pæti frater Seruius, qui propositis sine poëtæ nomine versiculis, statim pronuntiabat, hic versus non est Plauti, hic Plauti est: ita tritæ illius aures erant notandis generibus poëtarum. Equidem permagni refert

consi-

considerare vnde incipias, quò pergas: quem ducem, quos tibi comites adiungas: & quo instructus viatico in Latium antiquum proficiscaris, ad tibi conciliandum Sarsinatis hominis familiaritatem. Nam vt in longo itinere qui semel aberrauit, quò magis procedit, hoc recedit magis ab eo quẽ adibat, loco: Sic, in ratione studiorum, qui rectũ initio cursum non tenuit, nisi naturæ velificationem mutat, quò magis in altũ prouehitur, hoc iactatur diutius; magísque fertur procul ab eo quem petebat portu: nec dissimilis est imperito gubernatori, qui soluens ex Italia, relicto supero mari, per inferũ mare, Tuscum & Barbarum, nauigat in Græciam. Cauenda hîc & prouidenda sunt non pauca, quæ, ne singula enumerem, summatim vobis narrabo, & fide bona, quam institerim viam, & quò me putem peruenisse. Inde sibi quisque consilium & exemplum capiet, aut quod displicebit fugiendi, aut quod placebit sequendi. Igitur ante annos viginti,

Dum melior vires sanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus,

cùm Plautum interpretandi me cupiditas incessisset, has eius fabulas ausus sum aggredi, *Amphitruonẽ*, *Asinariam*, *Aulularíam*, *Captiuos*, *Curculionem*, *Militem gloriosum*, & *Pseudolum*; neque me tunc ingenuè fateor, operæ pæni-

tebat: imò, vt illa ætas est paulò confidentior, Plautum arbitrabar esse mihi familiarem, quòd eum aliquoties salutassem; nec ignotum eum mihi esse quem valde amarem. Postquam verò inter arma scelerata & nefaria Camœnæ nostræ siluerunt, miserrimæque Academiæ Hispana insultauit barbaries, benignitate clarissimi viri Henrici Memmij, cui me omnia debere nunquam inficiabor, ingratum nactus otium, si quod otium in tanto tumultu esse potuit, ne nihil agerem, de Plauto cœpi attentiùs cogitare, & ea comparare mihi, quibus fretus, & veluti exemptus numero profanorum, sperarem me in adyta venerandæ antiquitatis penetraturum esse. Itaque veteres grammaticos rursus peruolutaui, ac in primis illa glossaria, longè optima, quæ non ita pridem Henricus Stephanus excuderat: dispersas scriptorũ reliquias, qui Plauti æuo floruerunt collegi: duos hinc mihi commentarios elucubraui; vnum, priscarum vocum: alterum, de cognatione literarum, & multiplici permutatione. Plautinos codices non paucos contuli; scripturæ varietatẽ adnotaui; postremò Plautum à capite ad calcem totum relegi. Quid sim adsecutus, quæritis? hoc saltem, vt intelligerem me prius nihil aut parum intellexisse: vt essem aliquantò diffidentior, minúsque som-

niis aliorum vel meis crederem: neque tamen in tanta vetustatis caligine non aliqua visa est pedum via, plura me de hac re proloqui vetat pudor meus: tantùm dicam, daturum me vobis esse qualiscúmque mei laboris, & industriæ specimen in Menæchmorum interpretatione, nihil pollicebor amplius; & quasi pileata vendam mancipia, præterea nihil præstabo. Scio nec olim defuisse, nec nunc defuturos, qui non admodum vtilem Plautum esse censeant; & studio eloquentiæ, & moribus adolescentium: quod refellere tam in procliui est, quàm imber quando pluit. Didicimus enim ex Cicerone, sub exitum superioris anni, cùm Plauti caussâ disputationem *de Ridiculis* exponeremus, oratoris esse mouere risum, animósque audientiũ lepore & facetiis permulcere: quod nemo sanè meliùs Plauto facit, aut frequentiùs. Docuit etiam togatorum doctissimus, in Satyra quæ inscribitur Parmeno, vt in argumentis Cæcilium, in ethesin Terentium, ita in sermonibus Plautum sibi palmam vindicare. Probat idem Varro L. quoque Ælij Stilonis, (mendosè legitur apud Rhetorem Fabium Stolonis) de Plauto iudicium, qui musas ipsas aiebat, si Latinè loqui vellent, Plautino sermone fuisse loquuturas. Vnius fortasse Horatij auctoritate ab iniquis oppugnabimur, ita scribentis ad Pisones:

At nostri proaui Plautinos, & numeros, &
Laudauere sales, nimiùm patienter vtrúmque,
Ne dicam stultè, mirati; si modò ego & vos,
Scimus inurbanum lepido seponere dicto:
Legitimúmq; sonum digitis callemus & aure.

Decidenda nobis est quoquo modo hæc ab Horatio intorta in Plautum tragula; quod sine contumelia eius fiat, qui læsit; quippe homo est iracundus, & qui protinus inimicum Hipponacteo addicat præconio:

Qui me commôrit, inquit, *melius non tangere, clamo,*
Flebit, & insignis tota cantabitur vrbe:

Ne sæui, mi Flacce, pax sit rebus; audi æquo animo tria verba; mox tuus in Plautum emissus erit sine vulnere aculeus, nolo rixari tecum, iocari volo, & more Plauti oraculum arietinum fundere. Aut verum dicere non soles, mi Venusine, aut Poëta non es: elige vtrum malis, vtrínque profectò eleuabitur testimonij tui pondus. Si negabis te poëtam esse, tuis te coarguam tabulis, in quibus scripsisti:

Spiritum Phœbus, mihi Phœbus artem
Carminis, noménque dedit poëtæ:

Si fateberis, simul concedas necesse est te solere mentiri, ideóque tibi credendum non esse: quoniã tota hæc præclara vestra facultas pangendi carminis, planè est, quod ait Lucillius:

Pertica pictorum, veri nihil, omnia ficta.
age congrediamur propiùs, sed modò sine acerbitate. Velim mihi respondeas, an te proauis tuis sapientiorem putes, qui quod illi tantopere laudarunt, vituperes; nec arrogantiæ crimen pertimescas, qui eadem opera Plautum insulsitatis, & maiores tuos stuporis damnes ac stultitiæ? Plautini sales ad stomachum tuum non faciunt. Esto,

Tres tibi conuiuæ propè dissentire videntur
Poscentes vario nimiùm diuersa palato,

quid hîc noui? iniquum est Plautum insulsum videri, propter alieni stomachi fastidium, suus cuíq; gustus. Præterit asparagos vt edat carduos asellus: & vrbis vestræ conditor, Romulus in terris, in cælo Quirinus, cùm dij cæteri alãtur ambrosiâ, rapis vescitur. Insuaues Plautini numeri auribus tuis accinunt: nec istuc miror: quando Rex Scytharum Ateas per Aquilonẽ & Acinacem deierabat (quod religiosiss. & sanctiss. Scythis iusiurandum) se equi hinnitum, quàm tibicinis Ismeniæ, Græcorum præstantissimi, modulos audire libentiùs. Concludam hunc locum Macrobij verbis ab Horatio longissimè dissentientis: *Animaduerto*, inquit, *duos, quos eloquentissimos antiqua ætas tulit, comicum Plautum, & oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum venustatem cæte-*

ris præstitisse. Plautus quidem ea re ita clarus fuit, vt post mortem eius, comœdiæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen esse de iocorum copia noscerentur. Discedat ergo ab hac contentione Horatius censeo, dum integro & latere tecto licet; ne quis in eum vt in cerritum arripiat saxum, id est, saxeo testimonio testimonium eius obruat. Potest enim meminisse hoc incisum fuisse Plauti sepulchro:

Postquã est mortẽ datus Plautus, comœdia luget:
Scena est deserta: exin risus, ludu', iocúsque:
Et numeri innumeri simul omnes conlacrumarunt.

Venio nunc ad alterum caput reprehensionis, videlicet ad iuuentutis mores, quos Plautina lectione corrumpi, vel improbè calumniantur maligni, vel temerè sibi persuadent imperiti. Meretrices procaces, inquiunt, auari lenones, parasiti edaces, adolescentes dissoluti, stulti senes, veteratores & fallaces serui in Plauti fabulis inducuntur. Hoc si vitium est, non est Plauti vitium, vitium est comœdiæ; quæ nec ipsa in eo accusanda est: aut rectè à Liuio Andronico & M. Tullio non definitur, *imitatio vitæ, speculum consuetudinis, imago veritatis.* Quamobrem qui hominũ vitia comœdiæ imputat, idem facit quod turpes mulierculæ, quæ speculo suo irascũtur, & ei maledicunt, quod

formosam sui non referat imaginem. Tolle libidinem, luxuriã, auaritiam, stultitiam, & fraudẽ è vita, sustuleris è comœdia. Nihil illa peccat: quæ peccamus, sub alienis personis nominibúsque indicat, eóq; meliùs de nobis meretur, quod specie blandientis castigat. Minimè igitur istis Aristarchis, qui censurã sine populi suffragio gerũt, auscultandũ: aut actum est de litteris, & continuò præcipua humanitatis studia perierint. Traducentur per subsellia & cathedras scholarũ Ilias Homeri atq; Odyssea, propter adulteriũ Paridis, Circes, Calypsus, procorúmque intemperantiam: frustra Virgilius sibi ex virginali verecundia cognomen inuenerit. Sordebit & despuetur eius diuinum opus ob amores Didûs & Æneæ: quamuis illos errori suo, culpæque apud Augustum deprecãdæ, prætexat Ouidius, cùm ait:

Et tamen ille tuæ felix Aeneïdos auctor,
Intulit in Tyrios arma virúmque toros.
Nec legitur pars vlla magis de corpore toto,
Quàm non legitimo fœdere iunctus amor.

Sed ego ineptus, qui abutor attentione vestra, & aquã mihi effluere sino, huiusmodi refutãdis ineptiis: nec istos Plautomastigas, infami calumniæ inuidiæque morbo laborantes, iubeo abire morboniam. Reliquum est, vt breuiter exponam cur è Plauti comœdiis Menæchmos

potissimùm delegerim: cuius rei duplicem caussam adfero; vnam, quòd Sicula sit hæc fabella, ideóque acutissima: cùm sit omnium facetissima & callidissima Siculorum natio: alteram, quòd eius argumento nihil excogitari possit festiuius & vrbanius. Siculam esse fabellam, & is significat quisquis scripsit prologum: & indicio sunt Menæchmi ac Messenio, Sicula nomina: Epicharmíque stylus à Plauto expressus accuratissimè, cuius eum imitatorem fuisse, vel vnus Horatius, licèt iniquior Plauto, satis ostenderit his verbis:

Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro:
Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi.

Apud Siculos verò natam, educatam, adultam & excultam fuisse comœdiam, grauissimi auctores prodidere: nequicquam Atticis controuersiam mouentibus, aduersus quos dandas Siculis esse vindicias, docti viri pronuntiarunt his adducti rationibus, quòd Phormis & Epicharmus, Siculi Comici, Chonnida & magnete priores fuerint, quos Atheniēses apud se iactarent antiquissimos auctores comœdiæ: quòd vicos Athenienses δήμους, Megarenses verò, Siculorum coloni, κώμας appellarent: ex quo nomen impositũ comœdiæ, παρὰ τὴν ᾠδὴν καὶ τὰς κώμας, & quòd iidem Athenien-

ses ἀντὶ τοῦ ποιεῖν, dicunt πράττειν. Megarenses & Siculi δρᾶν, & ἀπὸ τοῦ δρᾶν appellata sint δράματα, quæ Latinis fabulæ nominantur. Iam in argumento huius comœdiæ non parum inest leporis & iucunditatis, ob formæ nominísque similitudinem: quo genere delectatum esse Plautum, testis Amphitruo, & testarentur lenones gemini, quos citat Priscianus, & quorum obscura, propter mendum loci, est apud Gellium mentio, nisi eam nobis fabulam inuidisset, temporis & hominum iniuria. Bella est, inquam, hæc hypothesis, nobis enim gratus est noster error, & expectatione delusi libenter ridemus: quem vnicum operæ suæ fructum captat vulgus in spectaculis. Huc adde quòd summam admirationem adfert similitudo non geminorum modò, sed multò magis alienorum, cùm internosci nequeunt: siue is naturæ fortunæque ludus: siue ea vis cæli natalitiíque sideris in hominum formas. Ac ne prisca referam similitudinis exempla; & ne Valerij Maximi, Pliniíque scrinia compilem, extiterunt nobis pueris, aut adolescentulis, vnius vxoris duo viri, Martinus Guerra & Arnaldus Tilius sic per omnia similes, vt nec ab vxore, nec à cognatis, nec à propinquis & familiaribus, discernerentur, quod incertũ ac suspensum diu tenuit senatum vniuersum

Tolosanum: vixque diiudicata ea controuersia digna certè, quæ à nobilissimo iurisconsulto Corasio literis proderetur, editóque insuper commentario illustraretur; Sed cruentum, & infelicem in altero sortita est illa similitudo euentum, cuiusmodi fuerunt in Maronis carmine fata geminorum:

Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in aruis,
Daucia Laride Timbérque simillima proles,
Indiscreta suis, gratúsque parentibus error.
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nā tibi Tymbre, caput Euādrius abstulit ensis:
Te decisa suum Laride dextera quærit:
Semianimésque micant digiti, ferrúmque retractant.

In Menæchmis autem Plautinis, quæ turbas parit similitudo, lætos & iucundos habebit exitus: quales rebus vestris semper optamus, vt hîc præfandi finem in bono faustóque omine faciamus. Dixi.

IOAN. PASSERATII, IN Ciceronis orationem pro Cæcina, Præfatio.

ALternam Plauto & Ciceroni me nauaturum operam cùm superioribus annis receperim, fidémque meam hactenus libe-

rarim, Auditores, vt mihi perpetuò constarem, post interrogationem Vatinij, aliquam Plauti fabellam oportuit interpretari. Nunc tamen pristinæ consuetudinis oblitus esse videor, qui & in Cicerone desierim, & ab eodem rursus initium ducam: vnde mihi meritò leuitatis culpa pertimescenda est, & subeunda inconstantiæ infamia; nisi vobis consilium meum caussámque omnem paucis aperuero; Nitar igitur istam ex animis quorundam suspicionem euellere, méq; ab huiusmodi crimine alienissimum ostendere. quod vt faciam, vestra etiam benignitas monet, & cohortatur attentio, cui me par est morigerari, & vestræ expectationi non deesse. Plauti militem gloriosum explicare instituenti, & ad Idus Octobres planè parato atque instructo, quiddam accidit perridiculum, quo mihi suscepta ratio necessariò commutanda fuit. Cùm enim deessent exemplaria, quæ multa inueniri falsò nuntiatũ erat, nec ego pecuniæ parcere decreuissem vt excuderentur, negauit typographus chartam, quæ quidem huic rei idonea esset, vllam tunc temporis posse reperiri. Ibi magna percussus admiratione, quæsiui quonámmodo tanta in Academiam Parisiensem inuasisset chartæ inopia, quæ vndique terrestri itinere, & secundo aduersóque flumine inuehi

quotidie cõſueuerit. Reſpõdit, vim eius infinitam in Hiſpaniam ante paucos menſes aſportatam eſſe, & operas à Philippo rege amplis conditionibus inuitatas, lucri gratiâ frequentes illò commigraſſe: Id primum mihi ſtomachum, deinde etiam riſum mouit. Ac quoniam admirationem meam auxerat, non minuerat, & illa parum mihi probabatur reſponſio, mecum ipſe cogitare cœpi, ecquænam alia cauſſa tantæ ſubeſſet inopiæ. Diu multúmque in hanc cogitationem defixo, tandem in mentem venit, innumerabiles ſcriptores, eóſque infinitè imperitos, qui per Academiam impunè graſſantur, eſſe auctores huius mali, eóque rem rediiſſe vt niſi immenſa libros quãlibet ineptè, & indoctè ſcribendi licentia magiſtratuum edictis coërceatur, breui charta prorſus Typographos deficiat. Itaque Caligulam, facem alioqui & Phaëtontem orbis terrarum, non poſſum in eo non laudare, quòd id genus Aquinos, Cæſios, Voluſios, ſpongia linguáve delere ſcripta ſua iubebat, & interdum ſcripta ipſa ferulis obiurgari, aut in profluentem abiici mergíque imperabat. Nullus neque modus neque modeſtia; vix natum hoc examen euolat, nequítque ſuis aluearibus contineri. Et quemadmodum vulgò videmus tenuiſſimum quémque de plebe abundare liberis,

qui adiuncta ad paternam egestatem inertia, ostiatim mendicantes annonam reddunt cariorem; Sic certi homines in summa tenuitate ingenij, longè plurimos animi fœtus edunt, quos cùm fouere & educare domi non possint, Typographis tradunt, à quibus excepti, magno chartæ dispendio per omnes ciuitatis partes dimittuntur: vbíque prostant, prætereuntibus passim obtruduntur, nec vlli aliarum mercium præcones exaudiuntur. Ex hoc hominum more præpostero, grauissima in rem literariam manāt incommoda; Nam si in Bibliopolarum officinis, Plauti, Cæsaris, Sallustij, & primæ classis auctorum, exemplaria conquiras, statim pro thesauro, vt est in vetere verbo, carbones: offerent meras quisquilias (pudet enim nominare, & nosse nomina piget) quibus miseri doctores infelicem alunt fallúntque iuuentutem. Expergiscātur, inquam, quorum interest, & vlceri scapellum adhibeant; aut si serpit cancer longiùs, nihil propiùs est, quàm vt ne Ciceronis quidem ipsius vlla exemplaria reperiantur. Decima eius operum pars hodie non extat ad vsum nostrum æneis formis excusa; quo in numero cùm præter opinionem oratio pro A. Cæcina inuenta esset, diu neglecta, & quasi ad tineas blattásque damnata, eam carie sitúque squallentem non

ſum paſſus putreſcere, ſed iacentem excitaui, fecique vt è tenebris ad lucem quodammodo reuocaretur; neque, quod cæteros auertit, me ab eius explicatione deterruit. Illi enim rarò docent niſi ea quæ omnes ſe intelligere putant, obſcuram horrent de iure ciuili diſceptationem, longámque orationem tamquam longum aliquod iter refugiunt. Nimirum vt qui ſunt languidiore ſtomacho, inſolentes nauigationis, poſtquam nauim conſcenderunt, & paululum prouecti ſunt, nauſeant; requirúntque continentem: ſic ij quibus imbecilla vis ingenij, ſi lõgiùs progrediẽdum eſt, ſtatim animo linquuntur, ac in porta penè deficiunt, vt Galbæ cantherius. Sibi nihilominus diligentes videntur, omnem mouent lapidem, licet nihil promoueant, meri germaníque Callipides aſſiduo curſitant, neque vllum cubitum procedunt; Cùm autem ſuis pedibus Ciceronem metiãtur, neceſſe eſt iudicẽt longiorem. Atqui ſanè longiſſima quæque Ciceronis oratio doctioribus maximè placet, quod de orationibus Demoſthenis eidem Tullio viſum eſt. Quæ iucunda ſunt, ſcilicet, nimiùm citò præterire, conquerimur, ac nimiùm diu quæ moleſta ſunt permanere: vt hyems, vel morbus, & ſi breuis, longior tamen apparet: Ver autem vel bonam valetudinem nimis longam nemo di-

xerit, cui sanum fuerit sinciput. Obscura porrò non tam natura sua est Cæcinæ controuersia, quàm videtur quorundam inertiæ, quibus vel acies hebetior est, vel eam satis ad perspiciendam Ciceronis mentem non valent contendere. Præterea illis plerúmque accidit quod sepijs, quas, aiunt, ne capiātur, effuso atramento aquam turbare, ac simul sibi & piscatori prospectum adimere. Sic multi & sibi & Ciceroni tenebras offundunt, dum ad locum aliquem ventum est, vbi metuunt ne deprehendantur in summa literarum ignorantia. Et vt ad eandem similitudinem reuoluar: quemadmodum Anaxilaüs memoriæ prodidit sepiarum atramēto lucernæ addito, eos qui adsunt continuò Æthiopes videri; ita qui cōtortos & confragosos in Ciceronem commentarios scribunt, lucem optimi auctoris infuscantes, faciūt vt videatur obscurior. Verba certè, quibus vtitur, aperta sunt, perspicua, & illustria: nec quisquam ore tam duro futurus est, qui oratori summo vitium orationis maximum, hoc est obscurum dicendi genus affingere audeat; in hac præsertim caussa, vbi ambigua diligentissimè distinguuntur, vsitata ac propria verba deliguntur, sine vlla contractione aut inflexione, atque immutatione sermonis. At res, & id quod in iudicium venit, perplexum

implicatúmque est: sit ita sanè: an ideo absterreri oportet, & ante tentatum certamē viribus nostris diffidentes hastas abiicere? Enimuerò eadem opera negabimus in virtutis viam ingrediendum esse, quòd initio salebrosa sit & aspera. Sed tamen quæro cuinam facessat negotium? ignaro iuris ciuilis, an perito? Si hanc sibi prouinciam deposcit iuris & legum ignarus, an dicemus illi rem esse difficilem? haud hercle magis quàm Apellis spectare tabulam, aut statuam Polycleti, Tamyræ vel Tiresiæ. Necesse est igitur vt huius controuersiæ magnitudo pendeat ex Iurisconsultorum existimatione, qui mores & instituta veteris populi Romani teneant, multiplicem interdictorum naturam, qui fundo deiecti quóque pacto restitui à prætore debeant, quæ vis solida, quæ ciuilis & festucaria, quomodo fieret deductio moribus, veniretur in rem præsentem, aut in gleba totus fundus vindicaretur, quæ potestas ac munus arbitri, quæ sponsionum formulæ, quæ testamentorum, quæ municipiorum & coloniarum iura. Ista ex duodecim tabularum & veterum Iurisconsultorum parietinis ac ruderibus sua diligentia eruit, nec tamen sartis à Triboniano centonibus instructus ad Ciceronem explicandum accedit, nec est communium literarum & politioris humanitatis expers,

pers, non metuet ipſe ne in tenebris offendat, & aliis antiquitatis lumen præferens offuſam oculis imperitorũ diſcutiet caliginem. Quòd ſi in iis rebus labatur, quæ coniectura tantùm nituntur, æquiſſimum erit ignoſci, cùm ſit admodum lubrica tota coniecturarum ratio. De me vt non auſim multa polliceri, (ne quis ſulicam parturientem mihi obiiciat, ſicut eſt populi ſermone tritum & peruagatum;) ſic non inficiabor me in eo ſtudio aliquantum temporis & laboris conſumpſiſſe, vnde ſpes affulſit, vtinam ne inanis, orationes eiuſmodi controuerſiis implicatas non peſſimè à me poſſe explicari; Quinetiam præſagit animus fore vt in ſecundis tertiiſve conſiſtam, ſi primas in hoc genere alius tulerit. Ratum iſtuc augurium, non alitis inuolatus, non ſiniſter oſcinis cantus, aut ſiniſtræ Iouis manubiæ, non tripudium ſoliſtimum, aut inſomniorum viſa faciunt: excuta pedum, iecora & fibras non conſului, nec eam ſequutus ſum quam exaratus in agro Tarquinienſi puer inueniſſe fertur diſciplinam. Certiora ſunt alia ſigna quæ ad præſenſionem futuri à me notantur: plurima cum Cicerone ipſo, frequenti lectione, ceu familiari quodam colloquio parta conſuetudo ad eius mentem ſenſúſque faciliùs inſpiciendos, quædam antiquitatis notitia, mediocris exercitatio,

& ex remiſſione, ſiue potiùs intermiſſione, acrior ad docendum alacritas: quibus omnibus ſignis mihi conſtituenda eſt apud vos auctoritas meæ prædictionis. Vna erit, fortaſſe auis arcula & inebra quæ minùs liquidum reddere, & garritu ſuo noſtrum turbare conetur auſpicium. Vereor enim ne more ſuo vulgus imperitum oggänniat, conſiliúmque meũ reprehendat quòd in manus ſumã librum minimè, ſi diis placet, plauſibilem atque popularem. Circũſpiciendum aliquid fuiſſe quod in aures ſuas molliſſimè blãdiſſiméque influeret, vt inde excitaretur hominum concurſus, nec quicquam æquè prodeſſe doctrinæ opinionem aucupanti. Mecum agnoſcitis, opinor, vocem multorum capitum bellua digniſſimam, ad quam, vt ad Catadupa qui Nilum accolunt iampridem obſurdui, adductus eloquẽtiæ parentis exemplo, qui in littore ad fluctum fremitúmque maris declamitabat, vt aduerſas plebeculæ acclamationes inanéſque ſibilos cõtemnere aſſueſceret. Indignus eſt qui ſedeat ad puppim gubernator, ſi orta tempeſtate procellarum ſtridore perterritus, clauum omittit; miles exautorandus eſt ab imperatore, qui iam acie inſtructa ob clangorem tubarum, clamorémque hoſtium arma proiicit: multò minùs ferendi ſint doctores regij ſi inſulſo

inconditóque vulgi sermone ab officio dimouentur. Græculum nescio quem satis in dicendo copiosum vel potiùs loquacem, suámque artem in circulis venditantem, olim risisse fertur Annibal, quòd is qui nũquam castra, numquam exercitũ vidisset, nec vllam omnino publici muneris partem attigisset, de imperatoris officio coram se disputaret, & de re militari sibi præcepta traderet, qui tot annos de imperio cum populo omniũ gentium victore decertasset. Ridere licet etiãnunc plusquam Terentianos Phormiones, nulla re nisi humanarũ literarũ ignorantia insignes (hoc enim seculo eas nescire non in minima laude ponitur:) qui cæteris arrogantissimè præscribunt, quid, & quo pacto doceant, quibúsque artibus discipulorum frequentia suã scholam celebrent, & minimo negotio eruditionis famam apud sui similes, callidos scilicet eius rei æstimatores comparent. Nimirum illud est quod aiunt: *Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.* Alios quærant quibus sua narrent somnia; Auscultare mihi non vacat, & multò minùs credere. Nam quod ad concursum multitudinis attinet, memini me virum eximiè doctum audire; cùm diceret, si magnam discipulorum turbam videret apud eum qui rectè doceret permanentem (si quidem inter-

dum, vt ſturni vel turdi gregatim aduolant & reuolant) rei nouitate ſtupefactum ſe ex vltima vſque Hetruria haruſpices arceſſiturum eſſe ad prodigium illud maioribus hoſtiis procurandum. Neque tamen id in dexterioris notæ præceptoribus iuſtam habet admirationem, vt neque in luſtro condendo fuiſſe plures proletarios quàm aſſiduos. Semper enim hoc poſt hominum memoriam factum eſt, vt auditores ſpectatoréſque plurimi ad Mimos, hiſtriones, præſtigiatores, Sanniones, lymphatos denique & ceritos libentiſſimè auidiſſiméque confluant, quia vulgus nugis quàm ſeriis impenſiùs delectatur, refértque puerile ingenium, quod puppas, mutas effigies, & inania rerum ſimulacra pro rebus ipſis conſectatur; eorum amore ſic exardeſcit, vt apud Euripidem Alexander, qui pro Helena, inanem effigiem atque imaginem Helenæ rapit. Quid autem mirum eſt ſi luſus inertes oblectat, & ſi alienæ adiutores inſaniæ in otio ridere malunt, quàm cũ labore, & negotio ſapere. Creſcit etiam numerus in immenſum, quia iis idem quod pecudibus accidit, quæ diſperſæ, protinus accurrunt ad ſui generis gregem, quem primum conſpexerint. Imò ſi fortè ſe iam aliò contulerint, & vox alicuius ſophiſtæ, & nugatoris increpuerit, relicto priore magi-

ſtro ad illum properant, ibique ſegnes deſident vt apiculæ in vuam conglobatæ. Verùm in eo diſſimiles quòd fumum amant,& fumum oderunt apiculæ. Perabſurdum eſt igitur ortiri è populi fece iudices, quorum ſententiis, & arbitriis viri docti vel indocti cenſeantur; cùm ne principes quidem verbum vnicum peregrinum vel inſolens vllo edicto ſuo vſitatum reddere, aut ciuitate donare queant. Teſtis è grammaticorum tribu prodeat M. Pomponius Marcellus, qui cùm in oratione Tiberij Cæſaris verbum aliquod (ſtrenas opinor) reprehendiſſet, (quàm ſapienter in tanta principis ſæuitia non diſputo;) & Atteius Capito,cui plùs adulatio proiecta infamiæ,quàm iuriſprudentia laudis peperit, affirmaſſet verbum illud Latinum eſſe, aut ſi nō eſſet mox futurum. Tum Marcellus,*mentitur*, inquit,*Capito;Tu enim Cæſar ciuitatem dare potes hominibus, verbis non potes*. Verè ſimul & liberè. Quamobrem deſinant iſti Cenſurā ſine populi ſuffragiis gerere,& indoctiſſimos pudeat de aliorum doctrina quicquam ſtatuere, ne ſtultitiæ ſuæ idem præmium ferant, quod Midas in fabulis iudicare auſus de Apollinis cantu. Indigniſſimum eſt enim tantum ſibi ſumere homines poſtremos, quantum principibus nunquam licuerit. Ex paucorum & peritorum iudicio,

ſolida & expreſſa laus conſtánſque eruditionis fama proficiſcitur, non rumuſculis multorúmque opinione comparatur, & captantes auram popularem fugit, ſequitúrque fugientes. Satis iam oſtendimus hanc pro A. Cæcina orationem, neque longam eſſe approbantibus, neque obſcuram antiquitatis monumenta tenentibus, neque non plauſibilem & iucundam ſtudioſis iuris & eloquentiæ. Itaque hos præteruecta ſcopulos, & his extricata vadis, facilem iam curſum tenet, portúmque proſpectat, in quem mox deferatur oratio: Niſi fortè adhæreſcit illa nauigio remora; Cæcinæ cauſſam, cuius patrocinium M. ſuſcepit Tullius, priuati eſſe iudicij, nec tantùm imi, ſed etiam nullius ſubſellij, regnare in publicis iudiciis eloquentiam, ibi animos inflammari aut reſtingui, eóſque miſceri motus, quibus auditores in maximam rapiuntur admirationem, celebrari hominum concurſu cauſſas quibus caput & fortunæ aguntur; in priuatis iudiciis vim dicendi non poſſe efflor eſcere. Subſellia grandiorem vocem deſiderant (fateor) & in publicis iudiciis ſtimulos oratori admouet populi corona; ſed adſtantem in comitio iudicem, aut ad recuperatores verba facientem, ſæpiùs oportet non oratoris tantùm ſubtilitate cum aduerſario pugnare, verum-

etiam grauitate copiáque resistentẽ percellere. Quæ omnia in defensione Cæcinæ præstitisse Ciceronem nunc non est demonstrandum, ne operam in re non necessaria collocemus. Itaque in oratione mea extremum id ponam quod primum præcipuúmque est; videlicet in discendi docendíque ratione, vt in amicitia mutuis officiis inter nos esse certandum. Verùm id monendi non estis, satis officij memores. Ego autem, modò fortuna conatum adiuuet, & facultas voluntati respondeat, meũ pensum accurabo probè. Cedam multis ingenio, plerísque doctrinâ, paucis industriâ; commodorum vestrorum studio nulli quidem certè. Id si vobis persuasero, hinc ita discedam vt me amplissimum laboris mei fructum glorier esse consequutum. Dixi.

IOAN. PASSERATII IN Ciceronis Orationem pro lege Manilia Præfatio.



Vo vitio morbóve dissoluta sint anno superiore ista comitia, quia satis meminisse possumus, Auditores; ideò nec mea reprehendi matura profectio, nec accusari sera debet reuersio. Si quis

tamen nimium molestus æris nō sui flagitator vrgebit acriùs, méque coget eloqui, cur collegis meis strenuè munia sua obeuntibus, vnum atque alterum mensem cessauerim, excusationis loco scitum illud Imperatoris Romani accipiat, *Rationem otij sui neminem reddere*: quamquam, vt ne quid dissimulem, toto eo tempore otij minùs mihi quàm negotij fuit. Animi quidem moderatæ remissioni datum esse aliquid haud inficiabor: ignauiæ verò & socordiæ, non concedam: imò sponsionē facere paratus sum, iustóve sacramento contendere, quicúmque me vadatus est vadimonio literario, numquam ad diem non occurrisse, nisi vis maior, quæ nulli præstanda est, obstiterit. Quòd si quid cessatione peccatum est, id à vobis etiam tacitus tum deprecabor, cùm diligentiâ sarciam. Sed vbi hanc caussam dixero, & paribus pluribúsve iudicum sententiis absolutus cœpero discedere, vereor ne ab iniquis ad alios quæsitores, aliáque subsellia retrahar. Decantatam in scholis, inquient, orationem pro lege Manilia interpretandam suscepisti, tuæque consuetudinis oblitus, inchoatam Plauti fabulam in actu tertio reliquisti. Ista nec obiicere difficile est, & facile refellere. Nam si libros qui omnium manibus teruntur nobis fas non est attingere, ea-

dem opera vti via prohibeamur, interdicamur foro, communi victu cultúque corporis arceamur: aqua, igni, cælo denique hoc ac ſpiritu quem omnes ducimus, velut manifeſti confeſsíque rerum capitalium, carere iubeamur. Quantò meliùs Antiſthenis diſcipulorum nobiliſſimus, qui τοὺς Ἀθηναίους ἔφασκε (δεικνὺς τὴν τοῦ Διὸς στοὰν) καὶ πομπεῖον αὐτῷ κατεσκευακέναι ἐνδιαιτᾶσθαι. Cenſebatur eſſe ſine lare familiari & ſine tecto: Atque ipſe cõtrà exiſtimabat, Iouíſque porticum oſtendens, Athenienſes ſibi magnificum aiebat ædificaſſe domicilium. Scilicet quod publicum eſt, patriciis & plebeiis, nobilibus & ignobilibus æquè patet; nec ita fieri poteſt occupantis, vt eiuſdem ciuitatis, vel tenuiſſimus quiſquam excludatur. Neque ſanè obſcurum eſt quo ex fonte tantus error, & inueterata manarit opinio. Nempe quæ à multis leguntur, à multis intelligi putãt; quod quàm falſum ſit, demonſtrabo cùm huius orationis ediſſeram argumentum. Interea ſic habetote: eum qui ſuaſionem legis Maniliæ rectè cupiet explicare, non modò artis Grammaticæ rudem non eſſe oportere, & peruagata Rhetorum callere præcepta, ſed multa præterea noſſe quæ vulgus ignorat; vtpote maieſtatem populi Romani, vim Tribunitiæ poteſtatis, morem legum ferenda-

rum,vnde colligerentur vectigalia, vt ab aratoribus decumæ, à pecuariis ſcriptura exigeretur, à mercatoribus portorium: quo pacto comitiis interdum inuito ſenatu, mandarentur imperia; quot quantæque ſint boni imperatoris virtutes: quæ optima ratio belli adminiſtrandi,& alia quam plurima ad rei militaris ſcientiam pertinentia. Tu igitur hæc tenes, dicat aliquis. Nihil mihi ſumo; ac neſcio an potiùs detraho. Ita enim me Muſæ ament, & noſtram Academiam ſemper florentem eſſe velint, vt quotidie magis magiſque mihi videor imperitus. Cuius certè rei me non tam pœnitet,quàm quòd olim me non indoctum arbitrabar. Enitar tamen ope ſumma, & quod ingenio non poſſum, fortaſſe aſſequar induſtriâ. Verùm ex diuerticulo in viam redeamus; & quod de inchoata relictâque Plauti comœdia obiectum eſt, diluamus. Primum mihi liberum eſt quod arguitur negare. Quis enim ſcit an in aliud tempus diſtulerim, propterea quod nondum adſunt cuncti eius fabulæ auditores? Deinde regium eſt, præſertim in prætoriis & arcibus extruendis, incipere,nec perficere: quicquid ſalſus poëta in Sertorium argutetur. Præterea ſtat à me Græcorum vetus verbum, πλέον ἥμισυ παντὸς: & vocem Tiberij Cęſaris vſurpare licet qui vt parſimoniā cæte-

rorum suo exemplo iuuaret, solemnibus cœnis pridiana & semesa opsonia, dimidiatúmq; aprum sæpe apponebat, affirmabátque dimidiatum eadem habere quæ totum. Postremò miles noster, qui nihil nisi pericula metuit, & sapienter sibi cauet loco, in vrbem adhuc reuerti noluit, ex qua, ne inultus periret, fortissimè profugerat; & vbi tot millia funerum in rationem Libitinæ venisse ei nuntiatum est, vt in saluberrimam Galliæ partem cum suo cælo Sardinia crederetur immigrasse. Sed ex animo discedat mihi priuatim infelicis, & publicè calamitosi anni memoria: hic verò melior nobis redierit precor, nec iterum interpellato studiorum nostrorum cursu, cogamur Dictatorem aliquem pangendo clauo quærere, aut, quamquam indemnati, solum vertere, & Locros, vel Crotonem, vbi numquam ista lues sæuire dicitur, cogitare. Impetritum, inauguratum est: cantus oscinis, alitis inuolatus, tripudium solistimum, ratum faciunt: quæuis addicunt & admittunt aues; nec infaustę, & inauspicatæ, affulserunt hodiernæ Calendæ Martiæ, anni quondam initium, & quibus post reges exactos, diu Consules iniere magistratum. Calendæ, inquã, Iunoni sacræ, & apud priscos Quirites multùm sertis floribúsque celebratæ. Vos vestras modò partes agite, ego meã susti-

nere conabor personam: nec quicquam pollicebor amplius. Quippe non sum tam callidus, vt pleró́sque Italiæ caupones ac stabularios valeam imitari, qui simul atque peregrè aduenientē aliquem conspexerint, longè procurrūt obuiam, salutant benignè, hospitióque suo ambitiosè laudato, miris blanditijs inuitant, deducunt alacres vsque ad amplam & bene pictam ianuam: Postquā autē ingressus fueris, & illi ad alios hospites captandos reuolarint, nihil culina frigidius, vt aiunt, nihil inanius stabulo reperias. Eorum mores magis amplector qui neminem promissis alliciunt, sua cōmendāt parciùs, & sponte ad se diuertentes lautiùs accipiunt. Itáque hoc suscepti operis vestibulum ornatius esse non patiar, vt vos rectà intromittam in atriū, vbi collocatæ sunt Romanæ antiquitatis imagines, & ex quo interiora ædium cunctámque supellectilem possitis intueri. Ascendamus ergo paulò altiùs, & quæ ad suasionem legis Maniliæ, argumentúmque huius orationis spectant, quasi à capite repetamus. Cùm tria sint Reip. genera, quæ quidem ab Aristotele comprobentur, Βασιλεία, ἀριστοκρατία, δημοκρατία: Rempublicam Romanam, antequam vnius dominatione oppressa teneretur, constat ex his tribus generibus compositam & temperatam fuisse. Ni-

mirum in Consulibus regium, & erat & dicebatur imperium. Cicero libro legum tertio: *Regio imperio duo sunto, iique praeundo, iudicando, consulendo, pretores, iudices, consules appellantor.* L. Papyrius apud Liuium libro octauo: *Quaero*, inquit, *Q. Fabi, cùm summum imperium Dictatoris sit, pareantque ei consules, regia potestas*; & quæ sequuntur. Ecce in consulibus Βασιλεία: Videamus an ἀριστοκράτεια in senatu fuerit. Polybius & Dionysius Halicarnasseus, vterque libro sexto, scribunt ærarium, prouincias, vectigalia penes senatũ fuisse. Addit etiam Halicarnasseus, perpetuo legẽ hanc Romæ vsque ab vrbe condita obseruatam, vt eorum omnium quæ ad populum ferrentur, patres auctores fierent: si quid non ita rogatũ esset, eius rei ea lege nihilum rogatũ. In senatu igitur ἀριστοκρατία, & optimatum principatus agnoscitur. Nunc ostendamus Δημοκρατίαν: Amplitudinem & dignitatem ciuitatis, totiúsque imperij maiestatem in populo fuisse hinc apparet, quòd non nisi à populo creabantur magistratus, eíque submittebãt fasces quoties in concionem ascendebant: quòd de capite ciuis populus solus iudicabat: quòd leges iubebat aut antiquabat: quòd bellum, pacem, fœdus, societatem, solus decernebat. Quin & ipsum Dictatorem, licet Magister populi

appellaretur, populo patuisse; declarant M. Fabij verba apud eundem Liuium eodem libro: *Tribunos plebis appello, & prouoco ad populũ: eúmq; tibi fugienti exercitus tui, fugienti senatus iudiciũ, iudicem fero; qui certè vnus plusquàm tua dictatura potest pollétque. Videro cessurúsne prouocationi sis, cui Rex Romanus Tullus Hostilius cessit.* Prætereo quòd apud Liuium libro septimo Dictator à Tribunis plebis magistratu abire compellitur: quòd Tribunis militum consulari potestate vincula minantur libro quinto: quod libro secundo Lectorius Tribunus plebis, viatorẽ mittit ad Appium consulem: quòd libro vigesimo nono in castra P. Scipionis duo Tribuni plebis proficiscuntur vt imperatorem comprehendere iure sacrosanctæ potestatis Romã reducant. Indicant & veteres senatusconsulti rogationísque formulæ quantùm intersit inter senatum qui *censere* tantùm dicitur; & populum, *qui velle & iubere*: quoniam in senatusconsulto erat, *de ea re ita censuerunt*; in rogatione, *velitis iubeatis, Quirites.* Quare non elatè neque oratoriè M. Tullius in oratione pro C. Rabirio perduellionis reo sic populum Romanum alloquitur: *Vos, Quirites, quorum potestas proximè ad deorum immortalium numen accedit, oro & obsecro.* Nec me mouet quòd aduersus illa quæ suprà memora-

ui, proferri poteſt ex ea oratione pro Rabirio: *Bonorum & fortium ciuium eſſe, ſummum in conſulibus imperium putare:* Si quidem extra ordinem id fiebat, & in extremo Reipublicæ diſcrimine. Quod vobis ſi fortè non perſuadeo, audite grauiſſimum auctorem Salluſtium in bello Catilinario. *Itaque*, inquit, *quod plerúmque in atroci negotio ſolet, ſenatus decreuit; Darent operam cõſules ne quid Reſpublica detrimenti caperet. Ea poteſtas per ſenatum, more Romano, magiſtratui maxima permittitur: exercitum parare: bellum gerere: coërcere omnibus modis ſocios atque ciues: domi militiaque imperium atque iudicium ſummum habere: aliter ſine populi iuſſu nulli earum rerum conſuli ius eſt.* Pergamus porrò, vt quorſum hæc à me diſputata ſint intelligatis. Qui legẽ ad populum ferre conſtituerat, eam promulgare & proponere trinundinum neceſſe habebat, ſicut ex Ciceronis Philippica quinta, Oratione pro domo ſua, & Dionyſij Halicarnaſſei libro decimo perſpicuum eſt. Promulgandæ autem & proponendæ legis cauſa fuit, vt eo interuallo trium nundinarum lex omnibus innoteſceret, præcipuè tribubus ruſticanis, quæ rei ſuæ ergô, nundinis Romam ventitabant: ac ſi cui ſuadere vel diſſuadere legem libitum erat, concedebatur. Liuius libro quadrageſimo quinto: *Prætor*

nouo maloque exemplo rem ingressus erat, quòd non consulto senatu, non consulibus certioribus factis, de sua vnius sententia, rogationem ferret: Vellent iuberéntne Rhodijs bellum indici: cùm anteà semper senatus de bello consultus esset, deinde ad populum latum: & Tribunis plebis, cùm ita traditum esset, ne quis priùs intercederet legi quàm priuatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset: eóque persæpe euenisset, vt qui non professi essent se intercessuros, animaduersis vitijs legis, intercederent: & qui ad intercedendum venissent, desisterent, victi auctoritatibus suadentium legem. Ne verò vobis imponat quod hîc ait Liuius, suadendi, dissuadendique legem priuatis potestatem fieri, id sic est exaudiendũ, etiam priuatis: quia procul est ab historiæ fide, & à mente Liuij, idem non licuisse magistratibus: cùm & Cicero Prætor, hanc legem rogationémque Manilij suaserit, & Consul dissuaserit legem Rulli agrariam. His ita constitutis facilis redditur causæ coniectio, & expeditum suasionis eiusmodi argumentum, ex Dionis libro trigesimo sexto, Velleij Paterculi libro secundo, Appiani Mithridatico, Plutarchi Lucullo & Pompeio. Bellum cum rege Mithridate annos iam plus quadraginta populus Romanus varia fortuna gesserat: ac tametsi à L. Lucullo multis cladibus præliorum, & vrbium

vrbium expugnationibus attritæ atque comminutæ regis opes essent: tamen, ab suis, militum Fimbrianorum seditione destitutus, Mithridatem & Tigranem fugientes persequi, bellúmque patrare ac conficere non potuit. Eodem tempore Cn. Pompeius curator oræ maritimæ lege Gabinia, quanquam deuictis prædonibus, pacatóque vniuerso mari, nihilominus immensum illud & infinitum retinebat imperium: adeóque totam Italiam fama sui nominis impleuerat, vt vnus omni dignus imperio videretur. Idcirco populares homines quò Pompeij gratiam & plebis, cui longè carissimus erat, aucuparentur, eum laudibus ad cœlum ferre, nouísque subinde honoribus cumulare, certatim nitebantur. Quo ex numero C. Manilius Tribunus plebis rogationem promulgauit, vt bellũ Mithridaticũ, imperiũ, prouinciæ, exercitúsque Luculli Pompeio transmitterentur, adiuncta Bithynia, Phrygia, Lycaonia, Gallatia, Cappadocia, Cilicia, Colchide superiore, & Armenia; præter classẽ & maximas copias maritimas quibus aduersus prædones vsus fuerat. Hanc legem aduocata concione, nundinis, opinor, suaserunt C. Iulius Cæsar tum priuatus, & M. Tullius Cicero Prætor. Dissuaserunt Q. Lutatius Catulus, & Q. Hortensius Ortalus, duo senatus lumina. Quo

magis doctum hominem miror, qui in huius orationis argumento ſcribit à ſenatu reuocatum fuiſſe Lucullum; nec ei venit in mentem à Plutarcho proditum, eſſe indigniſſimum ſenatui viſum, Lucullo non tam laboris & periculi, quàm victoriæ & triumphi ſucceſſorem dari: ſummáque contentione patres legi reſtitiſſe vſque ad ipſum legiſlationis diem, quo ceteri, populi metu, animo conciderunt: ſolus Catulus acri inuidioſáque oratione in legem & nimiam Pompeij potentiam inuectus, vt ſe fruſtra obniti ſenſit, conuerſo tandem ad ſenatores qui aderant ſermone exclamauit: *Quærendus vobis nunc eſt, Patres conſcripti, mons aliquis libertati tuendæ maiorum exemplo: & arx properè munienda, in quam vos recipere, ac ſeruitutis iugũ à ceruicibus veſtris depellere, valeatis.* Cæterum, ob legis Maniliæ ſuaſionem Cicero nonnulla leuitatis aſperſus eſt infamia, quòd modò illarum partium à ſenatu ad populum tranſiret, & vtrique ſe venditaret; ideóque ab optimatibus ei nomen *Transfugæ* inditum eſt. Habuit hanc orationem anno ætatis quadrageſimo primo, ab vrbe condita ſexcenteſimo octuageſimo octauo, M. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo conſulibus, ex Aſconij commentario in orationem pro C. Cornelio, apud Dionem libro trigeſimo ſexto perperã editum

est τύλλιος pro τύλλος, vel mendo librarij, vel ipsius Dionis errore, qui homo Græculus nonnunquam in historia Romana peccat; vt cùm ait Ciceronem, rogationem Maniliam suasisse, vt Ædilis à populo potiùs quàm Tribunus plebis crearetur; cùm manifestum sit, biennio ante Ciceronem ædilem fuisse: Sed hæc aliàs, nunc isti disputationi statuamus modum, ne memoriolæ nostræ, aut auribus vestris grauis sit longior oratio.

IOAN. PASSERATII PRÆfatiuncula in orationem M. Tullij pro A. Licinio.

INTER leges Tribunitias, quæ aduersus nimias opes nobilitatis, & inuidiosam optimatum potentiã, olim rogatæ sunt, ea non immeritò laudata, populique Ro. consensu tandem comprobata est, quam in tribunatu L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato consulibus, C. Cornelius tulit. Nam cùm ad id tempus ambitiosi Prætores pro cuiúsque vel gratia vel odio, variè ius dicere consueuissent; ad iuris æquabilitatem in libera ciuitate retinendam, statuit, vt ex edictis suis perpetuis res priuatas iudi-

carent, aut iudicari iuberent. Inde manaſſe conſuetudinem arbitrantur, vt proximis comitiis deſignati, ſimul átque magiſtratum iniiſſent, in concionem aſcenderent: ac poſtquam iuraſſent in leges, tum edicerent, & in albo proponerent, quid anno ſuo in iure dicundo eſſent obſeruaturi. Eum morem, eáque antiquitatis veſtigia perſequuti, quoties ad hoc munus poſt vindemiales ferias reuertimur, pauca ſolemus præfari; vt ij, qui adſunt, intelligant quo pacto prouinciam literariam ſimus adminiſtraturi, & quos nobis cancellos circundemus. Verùm ne putidum ſit eadem toties inculcare, rem tribus expediam verbis: me nihil ſcilicet de vetere mea docendi ratione mutaturum eſſe: adhiturúmque, pro ingenij tenuitate, parem diligentiã & induſtriam. Adhæc, quos auctores, quoque ordine ſim enarraturus, breuiter indicabo. Primùm igitur M. Tullij orationem pro A. Licinio explicabimus: deinde Plauti Pſeudolum, fabulam omnium feſtiuiſſimam: poſtremò M. Catonis, & L. Valerij, contrarias orationes de lege Oppia, ſi non vt habitæ, at vt ſcriptæ & editæ ſunt à T. Liuio. Sic triplicem aciem, vt imperatores commiſſuri prælium, inſtruemus: aut, vt periti conuiuiorum magiſtri, omnem noſtrum apparatum tripartitò diuidemus. Oua M. Tul-

lius & lactucas: veluti pompam, & caput cœnę, Plautus: secundas mensas, & bellaria, præbebit Liuius. Ne tamen ad has epulas delicati fastidij conuiuæ accedant, néve nimium auidi & famelici, locus non erit nisi iis qui paruo contenti esse poterunt, & nondum satiati æquo animo discedere. Vt frugi hominem decet, cauebo ne quid committam in leges sumptuarias, & ne per me incendatur annona. Conducam ex macello coquum, non emam qui censum mergat, qui ad detergendam stomachi nauseam nouos excogitet sapores, & exquisitis gulæ irritamentis superare meditetur Apicium. Inimicis meis cœnam illi condiant, qui in comœdiis gloriantur, se suauitate condimentorum effecturos vt conuiuæ digitos prærodant suos. Sed auertamus paulisper animum à patinis, & nonnulla de M. Tullio: nam de Plauto & Liuio aliàs commodiùs differemus. Suspicor non defuturos qui consilium meum in eo reprehendãt quod hanc potissimùm oratiunculam in manus sumpserim; peruagatam, tritam in scholis, puerísque decantatam: & qui longiorem deligi oportuisse clamitent, freti Ciceronis auctoritate, qui ex Demosthenis orationibus eam esse optimam respondit quæ esset longissima. His sermonibus imperitorum non commoueor; &, si quid eiusmodi

obiectum erit, nullo negotio refellam. Magni præcipuè viri, qui etiamnũ Gallici nominis in Italia, atque adeo Italiæ ipsius decus habetur, me defendam exemplo. Is enim hanc orationem Romæ, non ita pridem, incredibili hominũ literatorũ concursu interpretatus est, nec pertimuit ne male operã collocasse, aut laureolam in mustaceo quæsiisse videretur. Prætereà, falsum est istuc quod verũ esse putãt, à plurimis intelligi, quæ à plurimis leguntur: neque libris idem, quod metallis accidit, vt vsu attritúque magis splendescant. Si ita esset, in Terentio, Cicerone, Virgilio, Horatio, cæterísque eiusdem notæ, qui vel indoctissimorum manibus assiduè teruntur, nihil remansisset obscuri. Imo verò, vt viæ publicæ magis puluerulentæ aut lutosæ sunt, ob frequentiam vltrò citróque commeantium: vtque venales merces, quæ à pluribus contrectantur, magis sordescunt; sic varietate opinionũ, clarissimi cuiúsque scriptoris nitor obsolescit: & rei, qua de agitur, alioqui simplicis & apertæ, lumen, turba interpretum atque dissensione, vel obscuratur, vel obruitur. Et quemadmodum ab ea parte Geometriæ, quæ à Græcis ὀπτικὴ nominatur, fit interdum vt in vno speculo plures vnius rei appareant imagines; sic in explicandis & emendandis libris, vbi semel aberrauimus à conie-

ctura, pro vna multæ se nobis offerunt & ostendunt sententiæ. Huc accedit, quòd dum minus cautè incedimus per ea quæ confidimus esse plana, nec aspicimus quæ sunt ante pedes; in minimis offendimus, & per lubrica delapsi fœdissimè corruimus. Quod ad longitudinem orationis attinet, non sum ex eorum numero qui libros, vt agros, decempeda metiuntur; neque si mihi animi caussa nauigandum esset, mallem vela per Ægæum facere, quàm in lacu, aut flumine remigare. Qui librorum magnitudinem & molem consectantur, Colophonium requirant Antimachum, vel literatorem illum Didymum, qui, vt ab auctore grauissimo Seneca memoriæ proditum est, quatuor millia voluminum conscripsit, anilibus referta nugis, & his puerilibus quæstiunculis: quænam Homeri patria fuisset; quæ vera mater Æneæ: ebrietati an libidini magis indulserit Anacreon: an Sappho corpore quæstum fecerit: aliáque id genus congessit, in quibus miseros grammaticos Cæsar exercebat Tiberius. Absterret me ab iis ineptiis nescio quis apud Suidam Callimachus, & cantilenā suam insusurrat: τὸ μέγα βιβλίον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ. Quinetiam breuiorem librum optarim, vt ante Cal. Ianuarias absoluerē: quod vereor, vt possim, sicuti cogitarā; quando triens men-

ſis proximi mihi periit, ſublatis ad emendationem temporum decem diebus. Operæ pretium non eſt in tam frigida ieiunáque calumnia diutius immorari: aliò me vocat ab oratore ſuſcepta poëtæ defenſio, vt doceam rectè atque ordine feciſſe M. Tullium, quod Archiæ laboranti opem tulerit; eique vocem commodarit, cuius præceptis inſtitutíſque conformatam eſſe meminiſſet. Age ergo, ſi vobis vacat, mihi libet Ciceronis & Licinij ſtudia componere, & quàm benè oratoribus cũ poëtis conueniat, demonſtrare. Omnes quidem artes, liberaléſque diſciplinæ, ſicut & virtutes, inter ſe coniunctæ, connexæque ſunt, & communi quodam vinculo continentur: ſed arctior nulla eſt cognatio quàm oratoriæ & poëticæ facultatis. Vis eadem vtriúſque: par originis vetuſtas; beneficia & merita in genus humanum ſimillima. Id enim à nobis ſibi deberi poëtæ contendunt, quòd relicta glande frugibus veſcamur: quòd carminum blanditiis deliniti feritatem exuerimus, legéſque & oppida condiderimus: eos fuiſſe domitos leones: eas lyræ ſono manſuefactas tigres, ea ſaxa, eáſque arbores, quæ ſedibus radicibúſque ſuis auulſæ, Orpheum & Amphionem ſequutæ eſſe memorantur. Sibi quoque tribuit & vindicat cœtus hominum iure ſociatos, copiosè

loquens ſapientia : ſe priſcos illos ferarum more diſperſos palantéſque ait congregaſſe; ex ſyluarum montiúmque ſolitudine ad vrbium celebritatem : ex iniuria ad æquitatem: ex agreſti immaníque victu ad meliorem vitæ cultum traduxiſſe. Poëtarum eſt inflammare, reſtinguere, permulcere animos, & ad arbitrium nutúmque ſuum conuertere : eſt oratorum placare iratos; languentes incitare, erigere iacentes, conſolari afflictos; omninóque eſt ὁ λόγος ἰατρὸς τῶ κατὰ ψυχὴν πάθους. Vt alliciat voluntates, conciliétque multitudinis gratiam, in aures molliſſimè influit eloquentia: Poëtarum verſiculis, vt Apellis aut Parrhaſij tabulis, capimur, ducimur, detinemur. ideóque poëſim germanã eſſe picturæ cenſuerunt; & elegantiſsimè Simonides dixit Melicus, τὴν μὲν ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν. Nata in foro eloquentia, & in ſubſellijs educata, aucupatur eorum, qui audiunt, aſſenſionem, ſecundã acclamationem populi, & admirationem coronæ : Scena & theatro, vt artis ſuæ incunabulis, poëtæ delectantur, plauſúque vulgi tantopere mouentur, vt eum eſſe putent laboris ſui fructum ampliſſimũ. Nec me latet ex iis quoſdam reperiri, qui vulgi odium contemptúmque præ ſe ferant, quique vt profanum lõgè à ſacris ſuis arceant:

iidem tamen illi cùm plebeculæ digito monſtrantur, lætitia exultant, triumphant gaudio, nec Perſarum montes, qui eſſe aurei perhibentur, merere velint, vt hac inani careant vmbra gloriæ. Negat Democritus quemquam bonum poëtam exiſtere abſque aliquo quaſi furoris afflatu: Orator egregius ſine aliquo mentis inſtinctu nullus vnquam fuit. Niſi fortè iſta ſunt ſani hominis indicia, in agendo brachia iactare, vocem tollere, demittere, inflectere: crebrò vultum commutare: contorquere oculos: frontem ferire: percutere femur: pedem ſupplodere: modò ingenti clamore, ira, & indignatione perturbare omnia: modò, gemitu, láchrymis, plangore, & lamentatione miſerabili forum complere. Quantulum qui hæc faciunt diſtant à ſuperſtitioſis, fanaticis, & Bellonariis? Mitto C. Gracchi fiſtulatorem, & in perorando comites inſaniæ motus: ſuæne poteſtatis erat Seruius Galba, cùm in ea commentatione, cuius meminit Tullius in Bruto, ſcriptores librarios innocentes peſſimè multabat? haud magis profectò quàm tragœdorum nobiliſſimus, qui, cùm Atrei gereret perſonam, & eum in cogitatione pœnæ ac vltionis penitus defixum exprimere conaretur, eam concepit animo iracundiam & furorem, vt prætereuntem fortè ſeruulum hiſtrionem,

eburneo quem tenebat scipione interimeret. Quid? an Periclem, cùm ab Aristophane dicebatur fulgurare, tonare, permiscere Græciam mentis compotem fuisse credimus? Nos certè ipsi dùm alienam commemoramus insaniam, eiusdem morbi contagione penè correpti, & quo minimè tendebamus abrepti sumus. Quamobrem ne quis nos cum poëtis & oratoribus, ad agnatos gentilésque clamet esse deducendos, moderabimur orationi nostræ, sed itóque impetu ad reliqua pergemus.

Poëta, inquit Plautus, *tabulas cùm cepit sibi,*
Quærit quod nusquā est gentiū, repperit tamen.

Oratori ex vsu commodóque suo quiduis licet comminisci, adeò vt oratoriè loqui nihil iam aliud sit, quàm cum verborum splendore dictísque phaleratis mentiri. Absurda, falsa, incredibilia, poëtæ iure suo confingunt; & vt est apud Aristotelem, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί: vel vt Lucillianum illud vsurpem:

Pertica pictorum, veri nihil, omnia ficta?

In quo Proteo tot figuræ; in quo polypo tot & tam varii, quàm in arte Rhetorum, colores? Quibus non modò concessum est rebus mutis vocem sermonémque tribuere, verum etiam mortuos, velut magico carmine, ab inferis excitare. Poëtæ, quantūuis mali & inepti, se omnes amāt; & Musarum suarum fœtus,

vt simiæ, catulos, cùm nimis amplectuntur, sæpe opprimunt: Nullus non sibi placet, & de se magnificè sentit Orator. Vbi increpuit belli tumultus, conticescit illicò poëta: cùm itum est ad saga, orator statim obmutescit. Vtríque molliorem animum ad suscipiendam quàm ad deponendam offensionem natura dedit: & vtriúsque, cùm lacessitur & irritatur, magis formidãdum est styli acumen, quàm acies gladij. Nostis iambos Archilochi: Audiuistis Demosthenis verborum fulmina: non ignoratis quàm in pace metuendi fuerint: vicissim, vt enituerit eorum virtus in præliis, accipite. E' pugna quæ ab Atheniensibus ad Chæroneam malè pugnata est, cùm abiecto clypeo, bonáque simul fortunâ, fugeret Demosthenes, accidit vt currentem vepres laciniâ retinerent: Tum ille trepidus, hostémque esse ratus qui se consequeretur, voce supplici, vt vitæ suæ victor parceret orauit. Archilochus verò de se vltrò confessus est, & ignauiam suam nobilissimo epigrammate testatam esse voluit:

Ἀσπίδι μὲν Σαΐων τις ἀγάλλεται; ἣν παρὰ θάμνῳ
Ἔντος ἀμώμητον κάλλιπον οὐκ ἐθέλων.
Ψυχὴν ἐξεσάωσα φύγων, ἀλλ' ἀσπὶς ἐκείνη
Ἐῤῥέτω, ἣν αὖθις κτήσομαι οὐ κακίων.

Fortes & militares viri, γλωσσασπίδες, ῥιψα-

σπίδας. Archilochus fugæ maculam non cimolia, quæ creta fullonia eſt, ſed atramento eluere nequicquam tentauit. Demoſthenes facinoris ſui turpitudinem prouerbiali ſenariolo fruſtra eludere conatus eſt; Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. Atque haud ſcio ſi ea res in controuerſiam diſceptationémque veniat, an Archilochi cauſſa deterior futura ſit quàm Demoſthenis: quoniam hic ſeipſum rubis & ſentibus permiſit; ille clypeum tantùm commiſit: illius flagitij partem texere dumi, qui huius timiditatem detexere. Sed vt eò redeam, vnde paulo antè profectus ſum, eloquentiæ & poëticæ communes ſunt tres characteres & formæ dicendi. Nam oratorum & poëtarum alij ſunt grandiloqui, vehementes, copioſi, graues: alij tenues, acuti, ſubtiles, preſſi, limati: Quidam ex vtróque genere temperati. Ornamenta rerum & verborum ex eodem fonte hauriunt: qualibet vagantur impunè, & vt paſcales oues, ac liberum pecus, nullis ſeptis clauſtríſve cohibentur. Quanquam maior eſt oratoribus numerorum libertas, vt poëtis maior nouandorum faciendorúmque verborum licentia. Neque enim ſtatuo vſquequáque ſimiles eſſe vt prorſus internoſci nequeant, præſertim cùm & in gemellis ſit aliqua diſſimilitudo. Hic ego te-

lam, quam exorsus sum, pertexam; si prius μυθολογεῖν mihi permittitis; & rem integumentis fabularum inuolutam euoluere: in quibus, eloquentiæ inuentor ille Mercurius, lyram quoque fertur reperisse, vt vnum artis vtriúsque auctorem agnoscamus: & ex lyræ caduceíque facta permutatione inter fratres deos; Mercurium & Apollinem, intelligamus poëtarum & oratorum fraterna inter se commercia. Est hic mihi necessariò consistendum, vt admonui; neque, si velim, possim vlteriùs progredi, qui iam ad cœlum peruenerim. Præterea, si placui, satis verborum est; si displicui, nimium. Quibus placuisse contigerit, ij mihi facilè hanc veniam dabunt vt desinam, ne satietate minuatur aurium voluptas. Quibus displicuero, ij etiam tacere me iubebunt, ne longiore oratione augeatur illis audiendi molestia.

IOAN. PASSERATII PRÆFATIO in Q. Ciceronem, De Petitione Consulatus.



VI abdita, & inuoluta fabularum integumentis, acie ingenij sui euoluunt; ac, quæ poëtæ finxerunt de pœnis impiorum, in communi vita censent

repetiri, mihi facilè persuadent Ixionis nomine ambitiosi hominis adumbratam esse imaginem. Vt enim ille pro Iunone, cuius amore incensus erat, nubem complexus, Centauros fertur genuisse; & hoc libidinis suæ luere supplicium, vt radiis rotæ districtus, pendénsque, sine fine circumagatur: sic isti honoris inconsulta cupiditate inflammati, dum inanem eius speciem amplexantur, nihil animo nisi mera monstra concipiunt: vanáque expectatione suspensi, & nusquam mente vel corpore consistentes, in ambitionis rota perpetuò versantur. Quod etiam Lucretius de Sisyphi saxo, luculentis sanè versibus, interpretatur:

Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est;
Qui petere à populo fasces, sæuásque secures,
Imbibit, & semper victus tristísque recedit.
Nam petere imperium, quod inane est, nec datur
vnquam,
Atque in eo semper durum perferre laborem,
Hoc est aduerso nixantem trudere monte
Saxũ, quod tamen à summo iã vertice rursum
Voluitur, & plani raptim petit æquora campi.

His autem Lucretij verbis, *tristísque recedit,* Horatij verborum eódem spectantium admoneor:

Qui dedit hæc hodie, cras, si volet, auferet: vt si

Detulerit fasces indigno, detrahet idem.

Pone, meum est, inquit: pono, tristísque recedo.

Nulli scilicet non tristes discedunt ambitiosi, siue id, quod sequebantur, assequuti sunt: quoniam intelligunt sibi mox esse deponendum, vt inuiti cogantur in ordinem: siue repulsam patiantur, quæ illis morte acerbior. Mitto innumerabiles, & incredibiles petitionis molestias, in qua sæpe subeundi vultus inimicorum: ignoti pro notis appellandi: supplicandum indignis, & prensandæ vel operariorum dexteræ. Quãto ignominiæ periculo, P. Nasica, postea Princeps Senatus, & vir optimus à populo Rom. iudicatus, satis expertus est: qui cùm rustici cuiusdam manum opere duratam prehendisset, & ex eo per iocum quæsiuisset, num manibus solitus esset ambulare, leuissimo dicto, nobilissimus iuuenis ædilitate curuli excidit. Meritò igitur in libro de officiis primo exclamat M. Tullius: *Miserrima est omnino ambitio, honorúmque contentio*: & ea petitionis miseria liberatus Ausonius, iure has pro Consulatu agit Imperatori Gratiano gratias: *Consul ego, Imperator Auguste, munere tuo, non passus septa, neque campum: non suffragia, non puncta, nõ loculos: qui non prensauerim manus: nec consalutantium confusus occursu, aut sua amicis nomina nõ reddiderim, aut aliena imposuerim: qui*

tribus

tribus non circuiui: centurias non adulaui: vocatis classibus non intremui: nihil cum sequestre deposui: cum diribitore nihil pepigi. Romanus populus, Martius campus, equester ordo, rostra, ouilia, Senatus, Curia, vnus omnia mihi Gratianus. Felix certè Ausonius, qui ne petierit quidem vt Cæsaris candidatus & cõsul factus sit: Infelices alij, quibus cum vulgo negotium est: qui aliquid cum importuna multorum capitum bellua cõtrahunt: &, vt quocunque pacto videantur imperare, multitudini imperitæ fœdissimè ancillantur. Quod de se apud Euripidem in Iphigenia, Rex ille regum ingenuè confitetur, προστάτην γε τοῦ βίου τὸν δῆμον ἔχομεν, τῷ δ' ὄχλῳ δουλεύομεν. Ita de regibus loquitur, quasi populum arbitrum vitæ, rerúmque suarum nacti, vicissim insanæ turbæ seruiant. Inde vera vox illic erumpit ex eodem Agamemnone, vbi hominis & vetuli, & serui, se fortunis inuidere ait, beatósque eos iudicat, quibus tutam & ingloriam vitam traducere liceat:

Ζηλῶ σε, γέρον, ζηλῶ δ' ἀνδρῶν
Ος ἀκίνδυνον βίον ἐξεπέρασ'
Αγνὼς, ἀκλεής. τοὺς δ' ἐν τιμαῖς
Ησσον ζηλῶ.

Multa prætereo quæ in ea fabula dicuntur in hanc sententiam: & quibus facilè comprobatur, ambitiosos in quolibet magistratu nihilo

meliore conditione esse quàm vilissima Saturnaliorũ tẽpore seruitia. Imò interdũ deteriore conditione sunt, quòd in domino eiusmodi nulla possit esse dignitas, quæ minus turpem reddat seruitutem: cùm præsertim τοῦτο θηρίον πολυκέφαλον planè sit, vt in Axiocho scribit Xenocrates, ἀχάριςον, ἀψίκορον, ὠμὸν, βάσκανον, ἀπαίδευτον. natura ingratum, insolentiæ & fastidij plenum, sæuũ, inuidum, & ab omni humanitate prorsus alienum. Verùm hîc ego non statui vulgum accusare, quod nullo negotio faciat minimè disertus; sed prætextata vulgi mancipia: ipsámque φιλοτιμίαν, καὶ φιλαρχίαν, vt omnium malorum fontem, & ex quo manant perniciosę simultates, funestę seditiones, pestifera bella, & luctuosæ rerum publicarum euersiones. Itaque istuc, vt omnia, præclarè Aristoteles, in libro Politicorum secundo, vbi de Lacedæmoniorum rep. disserit, quo Spartæ institutam à Lycurgo petitionem magistratuum vehementer improbat. Aut enim emptis suffragiis creantur indigni, quo nihil absurdius & iniquius: aut eblanditis renuntiantur digni, ad quos vltro, vel recusantes deferendi sunt magistratus: neutri autem ambitione vacant, in qua nihil est sani & sinceri, cùm ad omnia scelera, quæ quidẽ voluntate suscipiantur, homines vel honoris vel pecuniæ studio impelli

consueuerunt. Aristotelis quoque, & omnis augustioris sapientiæ magister Plato, in libro septimo de Repub. grauissimè reprehendit τοὺς σκιαμαχοῦντας πρὸς ἀλλήλους, καὶ στασιάζοντας περὶ τοῦ ἄρχειν, ὡς μεγάλου τινὸς ἀγαθοῦ ὄντος: eos qui de honore, vt de vmbra, stultissimè dimicāt, turbásque cient, & tumultus de imperio & principatu, vt de ingenti aliquo bono. Nec aliò pertinet, quod ex eodē Platone refert M. Tullius: similiter facere eos qui inter se contendunt vter rempublicam administret, vt si nautæ certent quis eorum potissimùm gubernet. C. Cæsarem, summum virum, nisi transuersum nimia rapuisset gloria, M. Cato vnum aiebat ex omnibus sobrium ad rempublicam euertendam accessisse: opinor, vt id ostenderet, maximam partem, ambitione veluti temulentos, remp. capessere: ibíque cuncta ruere, & miscere, quòd tunc nullis amplius cohibeantur rationis frænis & modestiæ. Hoc nempe Circæo poculo mentes hominum valdè immutantur, &, vt ait Sallustius, *ambitio multos mortales falsos fieri subegit: aliud gerere clausum in pectore, aliud promptum in lingua: amicitias inimicitiásque non ex re, sed ex commodo æstimare: magísque vultum quàm ingenium bonum habere:* sic, vt nusquam meliùs conueniat vrbanissimi poëtæ Lucillij versus:

Pertica pictorum, veri nihil, omnia ficta.

Postquam tamen se isti Protei varias in formas fallendi caussâ verterunt; non ideo iis conceditur, quod olim Atellanis, vt è scena personati exeant: sed, velint nolint, vt cæteris histrionibus, inspectante populo, persona detrahitur: & tunc, vt ait Petronius,

Vera redit facies, dissimulata perit.

Atque vt nulla virtutis & prudentiæ simulatio potest esse diuturna, quidam suo iudicio astuti & callidi, deprehenduntur in magistratu non plus sapere quàm visum sit eorum apparitoribus. Quòd si veteris verbi memores essent: ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν, magistratus virum ostendit, cautiùs incederent, rectáque grarum ostendit, cautiùs incederent, rectáque graderentur ad laudem via: nec per amfractus & diuerticula famam quærentes, inuenirent infamiam: & dum coli, ac suspici volunt, reddecentur in purpura saltantes simiæ. Dies me citiùs quàm oratio deficiat, si ambitionis mala enumerare coner, & quàm pestilens sit id vitium exemplis docere: quæ vtinam pauciora essent, nec noua quotidie præberent tragœdiis argumenta, ἡ δὲ φύσις τούτου αἰτία, προσθεῖσα τοῖς ἀγαθοῖς ἅπασι καὶ κῆρας συμφύτους, vt inquit eruditissimus, ac diligẽtissimus historicus Dionysius, in extremo libro quinto, τῆς ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Eius rei culpam natura sustinet,

quæ cum bonis omnibus, vt mala iussit exoriri & subolescere; sic cum gloriæ studio in animis hominum inseuit nescio quid populi otio, iuris æquabilitati libertatíque inimicum. Quamquam, si verum agnoscimus, eam ipse sibi populus perniciem semper attulit, qui licet legibus plurimis, vt Calpurnia, Cornelia, Bæbia, Fabia, Petilia, Tullia deniq; ambitũ coërcuerit, pecunia multarit, notarit ignominia, damnarit exilio, sua tamen nunquã voluit esse gratuita suffragia. Quo nomine disertissimus Rhetor Isocrates ciues suos obiurgat, in oratione περὶ εἰρήνης. Πλείστους τεθέμενοι νόμους, ὀλίγον αὐτῶν φροντίζομεν, (de iis legibus loquitur, quibus ambitus & largitio capite sanciebatur.) Permultas ferimus leges, perpaucas, siue potiùs, nullas obseruamus. mox subiicit: τοὺς τοῦτο φανερώτατα ποιοῦντας στρατηγοὺς χειροτονοῦμεν, eos qui luce palam id faciunt, qui præsenti pecunia, aridóque argento, nostra suffragia in comitiis nundinantur, duces & imperatores deligimus. Plautinus etiam Stasimus, in Trinummo idem queritur:

Nunc mores nihil faciunt quod licet, nisi quod lubet.
Ambitio iam more sancta est, liberáque à legibus.
Petere honorem pro flagitio, more fit:

Strenuos præterire more fit.
Mores iam perduxerunt leges in potestatem suam.

His accedat quod in Attici vita ſcribit Cornelius Nepos, vt obiter maculam quæ illis inſedit, & inueterauit, deleam: *Honores*, inquit, *non petijt, cùm ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem: quod neque peti more maiorum, neque capi poſſent conſeruatis legibus; in tam effuſis ambitus largitionibus; neque geri ſine periculo, corruptis ciuitatis moribus.* In quibus verbis emendaui, *geri* pro *rei*, quod mendosè legitur, & mendoſiùs *reip.* coniecturámque meam adiuuat ordo verborum & ſententiæ *peti, capi, geri.* Quorſum, inquies, iſta de ambitione propemodum ambitioſa diſputatio? ne quis fortè miretur ambitionis præcepta, tam accuratè à Q. Cicerone conſcripta: quia ſi quid in eo vitij, id totum morum ac temporum fuit: quibus nonnihil indulgendum & ſeruiendum eſſe, ne philoſophi quidem negant. Fuerint hæc, dicat aliquis M. Tullio, vt candidato, perutilia: quid inde tandem ad nos, & ad ſtudia iuuentutis, peruenturum eſt commodi, iam intermortua, & penè ſepulta eiuſmodi honorum petitione? aut quid attinuit relictis tot præſtantium auctorum libris, hunc potiſſi-

mum in manus ſumere? Mihi non deerit quid reſpondeam; nec vereor ne arguar mendacij: nullum videlicet in lingua Latina librum eſſe, qui ad hiſtoriæ Romanæ, Ciceroniſque, ac Liuij cognitionem plus adferat adiumenti: quoniam abſque eo eſſet, multa quæ ad veterem comitiorum rationem pertinent neſciremus: atque horum ignoratione ſæpe cogeremur in turpiſſimis erroribus verſari. Pendebat enim è comitiis amplitudo ciuitatis & omnis populi Romani maieſtas. Siquidem iubere aut vetare leges: pacem bellúmve decernere: ſocietates & fœdera cum Regibus, & populis contrahere vel diſſoluere: honores & imperia mandare: ſtatuere de capite ciuis: non niſi comitiis licebat. Quæ ſi maxima fuiſſe, vt fuerunt, concedimus: eorúmque frequentiſſimam eſſe in libris mentionem: ſimul fateamur oportet, rerum Romanarum ſcriptoribus intelligendis plurimum prodeſſe Q. Tullij commentarium. Sed ille vel ſolo fratris nomine vobis notus commendatúſque eſſe debet. Quare finem faciam, ſi quambreuiſſimè vitam eius moréſque perſtrinxero. Q. Cicero Marco fuit natu minor: ita facili & procliui ad poëticam ingenio, vt quatuor tragœdias diebus ſedecim abſoluerit. Pomponiam Attici ſororem duxit vxorem: ex qua filium Quintum ſuſtulit, nec patre, nec

patruo dignum. Habitauit in ædibus paternis quibus ei cessit frater, vt amicorum clientiúmque caussa migraret in palatium. In Gallia legatus C. Cæsari, fortem fidelémque Imperatori, operam nauauit, semel atq; iterum in hybernis innumerabilibus hostium copiis circumsessus. Legatus postea M. Fratri proconsuli fuit in Cilicia. Præturam adeptus, intra eum honorem stetit; & ex prætura Asiam nactus prouinciam, ei parum secunda fama & existimatione præfuit. Breuiore statura eum fuisse declarat fratris iocus; qui cùm in Asia clypeatam eius imaginem, ingentibus lineamentis, vsque ad pectus, ex more pictam conspexisset, Frater, inquit, meus dimidius, maior est quàm totus. Iracundiæ libertísque suis nimium indulsit, quamuis mollissimus ad deponendam offensionem. Valdè laudandus ob insignem in restituendo fratre pietatem, nisi magis vituperandus esset, quòd sic auerso & alieno in eundem animo fuerit aliquando, vt compulerit ardentem dolore, hanc adtexere claususulam epistolæ nonæ libri vndecimi ad Atticum: *Hæc ad te die natali meo scripsi: quo vtinam susceptus non essem, aut ne quid ex eadem matre postea natum esset.* Interfectus est à conquisitoribus proscriptorum, paulò post indignissimam fratris cædem: nec diu scelus impu-

ne tulit Philologus, à quo proditus dicitur, quia mox venit in poteſtatem vxoris Pomponiæ, quæ inuſitatis auditúque formidoloſis exemplis excruciatum necauit: hæc ex Ciceronis epiſtolis, C. Cæſaris commentariis, Plutarcho in Cicerone, Macrobio Saturnalibus, Suetonio in Auguſto, excerpere ſatis habui, & indicare; vnde plura, qui volet, petat. Cætera ſuis locis commodiùs perſequemur.

IOAN. PASSERATII ARGVmentum & Epitoma commentarij Q. Tullij, De petitione Conſulatus.

Breuiculum exordium: quo ſe non fratris docendi, ſed amoris cauſſâ iſtuc ait ſcripſiſſe.

Tria fratri conſideranda proponit: Quis ſit; Quid petat; Ciuitas quæ ſit, vbi petat: Nouus ſum; Conſulatum peto; Roma eſt.



OVITATEM nominis dicendi gloriâ ſubleuandam eſſe. Inde copiam amicorum & gratiam adfuturam, ſubſidiáque ipſi præſto eſſe maiora quàm competitoribus, Antonio præſertim & Catilinæ, quorum mores vitámque reprehendit, &

docet omnibus vel contemptos vel inuisos.

Magnitudo petitionis hinc æstimanda, quòd summum locum ciuitatis petit: quòd inuidebunt Cõsulares eũ illi honorẽ;& nati familiis Consularibus, nec eum adepti: & prætorij pariter: quòd multi inuidi in populo: quòd irati multi ob caussas contrà se actas. Aduersus ea contraria illi studia, incumbendum in summam rationem, curam & diligentiam petitionis, quæ petitio diuiditur, in

Amicorum studia, & popularem rationem, siue voluntatem.

Amicorum nomen in petitione latissimè patet. Amici enim vocantur qui quocúmque modo nobis fauent; sed quidam ex honestiore causa nobis amici sunt, vt cognationis, affinitatis, necessitudinis. In amicis sunt sodales, tribules, vicini, clientes, liberti, serui denique nostri. Accedant illustres homines, ad speciem, concilientur magistratus, qui comitiis præsunt: & ij qui conficiunt, vel tribuunt centurias.

Amici eiusmodi, & studiosi suffragatores, tribus modis parantur:

Beneficio: si quid tibi debebunt, vt tunc referant gratiam, orandi:

Spe; si quid à te commodi expectabunt: quod genus multò esse solet officiosius, & diligẽtius:

Beneuolentia; id est studio voluntario, & gratuita propensione voluntatis.

In iis considerandum, quid, quantum quisque nostra caussa velit, & possit, ne frustra in iis præsidium statuamus, qui vel nolint, vel non possint. Adiungendi denique omnes Senatores, equites, plebeij, vrbani, rusticani, municipia, coloniæ, præfecturæ, iuuenes & adolescentes: tota postremò Italia.

Ab amicis eiusmodi postulatur, vt salutent, vt deducant, vt assectentur. Inde tria genera officia præstantium candidato:

Salutatorum: qui domum manè veniunt salutatum, & quorum minimum est officium, retinendi tamen, ad speciem:

Deductorum: quorum maius officium, & illustrius; à quibus certis temporibus in campum deducitur candidatus.

Assectatorum; qui partim voluntarij, partim obligati: illi rogandi, hi flagitandi: eorúmque magna conficienda frequentia:

Constitutis amicis; discernendi firmi à fucosis & simulatis: notandáque

Obtrectatorum & aduersariorum tria genera:

Vnum, eorum quos læsisti, cùm contra eos diceres, quomodo leniendi.

Alterum, eorum qui sine caussa non amant:

qui de illa prauitate animi deducendi sunt.

Tertium, eorum qui competitorum amici sunt, iis inseruiendum eadem ratione & oratione qua superioribus duobus.

Sequitur popularis voluntas, siue popularis ratio. Nam suprà, petitio diuisa est in amicorum studia, & popularem rationem: ea desiderat

Nomenclationem: vt nomine quémque appellando nosse eum videaris.

Blanditiam: non illam quæ deteriorem alium assentando facit, sed quæ reddit amiciorem: éstque petitori pernecessaria.

Assiduitatem: vt nusquam absis: habitès in oculis ciuium: premas forum: appelles sæpe obuios.

Benignitatem (id est liberalitatem) in conuiuiis celebrandis passim, & tributim: atque etiam in opera præbenda: vt aditus diurni ac nocturni ad candidatum pateant: vt etiam, vultus ac frons, quæ est animi ianua: & comis sit oratio, benignè pollicendo, vel bellè negando. Interdum enim durior est eius oratio qui recipit, quàm eius qui iucundè negat se facturum: súntque qui malint nos sibi mentiri, quàm precisè negare. Plures quoque reperiuntur qui rogãt vt liceat vti alterius opera, quàm qui vtantur.

Rumorem: vt bona de nobis, noſtráque petitione & ſuffragatorum amicorúmque frequentia fama ſpargatur; & à nobis optimum & potentiſſimum quémque ſtare.

Spem in rep. vt ſpes bona ſit,&. honeſta de nobis opinio apud omnes ordines. Senatus exiſtimet defenſorem auctoritatis ſuæ: Equeſter ordo ſtudioſum otij: plebs, non alienum à ſuis commodis.

Reliqua eſt pars tertia primæ & ſummæ diuiſionis: Nouus ſum: Conſulatum peto:


Roma eſt, Ciuitas ſcilicet ex nationum conuentu, vbi inſidiæ, fallacia, ſuperbia, inuidia; quæ omnia effugere perdifficile eſt: eloquentia tamen & patrocinio multorum tolletur aut minuetur offenſio.

Largitionis poſtrema eſt mentio, cui iam aſſueuit ciuitas, & qua præcipuè populus capitur: integritate tamen certandum erit; & terrore iudicij ambitus coërcendi competitores, ita vt metu acerrimi oratoris aut largitio nulla à competitoribus fiat, aut nihil valeat.

Peroratiuncula breuiſſima, & ſimillima exordioli.



IOAN. PASSERATII PROlegomena in Ciceronis Topica.



RATIONEM & operam in re minimè necessaria fortasse abuti videbor, auditores, si, cùm artē dicendi profitear, eius artis ab optimo magistro tradita præcepta, quæ ignoratione exemplorum habentur obscuriora, illustrare statuerim. Solet enim qui spontè ad aliquod se opus accingit, quibus de caussis id faciat commemorare, non qui religione officij adstrictus suo munere perfungitur. Mihi tamen aut meum vobis exponendū erat consilium, aut in apertam existimationis dimicationem descendendū: quoniam anceps ex silentio periculum imminebat, ne in leuitatis crimen incurrerem, néve ambitiosæ ostentationis suspicio grauē mihi concitaret offensionē apud eos qui ex sua natura cæteros fingunt, nec quemquam alienū esse putant ab illa culpa cùi affines ipsi reperiuntur. Leuitatis autē opinio ideo mihi pertimescenda est, quòd promissa susceptáque omniū Plauti fabularū explicatione, ac tribus tantùm absolutis, Amphitruone, Asinaria, & Aulularia,

desultoris in modū ex fesso in recentē equum subinde transultantis, à Plauto ad Ciceronem me repentè conuerterim. Vereor, inquā, ne id in reprehensionem cadat, & à me temerè facta iudicetur voluntatis cōmutatio. Huic occurrendum est, & aspersa falsò macula, priusquàm insideat atque inueteret, penitus eluēda. Haud sum equidem oblitus quid promiserim, nec me, aut sponsorē meum, appellari sinam; quin, vt bona nomina consueuerunt, nulla præstituta die, vltrò fidem meam liberabo. Nam ita me Plautina delectant, vt, cùm à Cicerone discessero, nemo sit quem Plauto anteponam, & in quo ex aliqua ægritudine ac molestia libentiùs conquiescam. Tantus hominis in iocando lepos, tam crebri sales ac facetiæ, tanta est antiqui incorruptique sermonis vrbanitas: cuius me perstudiosum esse non inficior. Sicut enim in antiquis moribus plus fuisse probitatis nobis persuademus, sic in antiquo sermone plus inesse & veritatis & suauitatis, eique tamquam vino generoso, ac notæ Opimianæ, magnam accedere ex vetustate commendationem. Verùm mihi concedi postulo, vt alterna Plauti & Ciceronis interpretatione fessum animum reficiam; & ea varietate leuem, velut ortum ex cibi eiusdem assiduitate nimia languentis stomachi, fastidium.

Nullus tam ſuauis ſonus, neque tam iucundus color, qui perpetuò placere poſſit, & in quem ſemper intenta ſenſus noſtri acies tandem non obtundatur: rectéque monent qui præcipiunt vitandam eſſe ſimilitudinem, quæ ſit mater ſatietatis. Si quis verò docendi regio munere, & hoc ſuggeſto indigna eſſe contendit Ciceronis Topica, quorum prælectione omnia ferè gymnaſia perſonant, & ſe à nobis ait, expectaſſe grauiora; næ ille nos conditione duriſſima eſſe iubet, cùm iis prohibet quæ ſunt communia: nec ſolùm in ordinem, verumetiam in anguſtiſſimum compellit locum, ſi aliis locum, ſi aliis permittit vt partes faciant, & quam optarint capiant, nos vetat quicquam ſumere niſi quod illi contempſerint ac reliquerint? Tam inſignem fieri nobis non patiemur iniuriam, & ab iniquo tribunali, ad æquiorem confugiemus Prætorem, cuius ea ſit cognitio, quique de conſilij ſententia pronuntiet: Videri in alienam poſſeſſionem non irruiſſe, quorum prouincia non Plauti Ciceroníſque terminis circumſcripta ſit, ſed longè latéque patentibus humanitatis finibus contineatur, per quos liberè poſſimus noſtro iure ſpatiari. Nemo igitur qui calumniæ ignominiam effugere volet, nos in leuitatis crimen vocabit, in quibus ne tenuiſſima quidem hæret inconſtantiæ ſuſpicio.

ſuſpicio. Depellenda nunc eſt oſtentationis venditationiſque infamia, nec eſt committendum vt me quis arbitretur inanis gloriolæ cupiditate iuuentutis ſtudio velificantem populari aura huc prouectum eſſe, quò maiore auditorum numero hæc ſubſellia celebrentur. Errat qui id credit, & me ignorat profectò. Fateor enim ingenuè (abſit verbo inuidia) me & ingenio meo, & inſtituta vitæ ratione, non ita multis iudicibus contentum eſſe, & eorum opinione nihil commoueri qui doctoris eruditionem diſcipulorum frequentia metiuntur. Non eſt ſanè, non eſt æquus, nec Ædilitius iſte modius; eiúſque rei locupletiſſimum teſtem vel è media ſcena produxero, qui paucis, hoc eſt bonis, non plurimis, probari cupit; quia fieri non poſſe videt vt quis vtriſque ſimul probetur, cùm grauiſſimus auctor Theognis, hoc ipſi etiam Ioui negatum eſſe memoriæ prodiderit:

Ἀςοῖσιν δ' οὔπω πᾶσιν ἁδεῖν δύναμαι.
Οὐδὲν θαυμαςόν, Πολυπαΐδη. οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
Οὔθ' ὕων πάντας ἁνδάνει, οὔτ' ἀνέχων.

Beati ſibi videantur, & hac felicitate diutiſſimè fruantur, ad quos fit plebeculæ concurſus, per me licet: laureolam ego in iſto non quæram muſtaceo. Magnum enim eorum cogere numerum qui nihil cogitatione faciunt, & cœ-

co impetu ad ſui ſimiles rapiuntur, ſcio tam eſſe in procliui quàm agnorum gregem, quò velit, ducere facile eſt verueci ſectario. Doctus vir, & cordatus, frequentiam, ſi adſit, non aſpernabitur; ſi abſit, magnoperè non requiret. Niſi fortè ad alterius famam, quicquid increpuerit, gregatim conuolantes quaſi mortuos lugeat, cùm nihil interſit vtrum quis *è vita migraſſe*, an *ad plures abiiſſe* dicatur; quemadmodum priſci loquebantur Latini, atque adeò Græci, qui idem ſentiebant. Iſtuc clariſſimi philoſophi auctoritate cõfirmauero, qui Stoïcorum porticum fulcit, & Zenonis valdè nobilitat familiam. Ac ne vox eius verſa barbarè de venuſtate ſua plurimum amittat, ita proferam vt à diligentiſſimo ſcriptore literis mandata eſt. Ὀνειδισθεὶς ὑπὸ τινὸς ὅτι οὐχὶ παρὰ Ἀρίστωνι μετὰ πολλῶν σχολάζει. Εἰ τοῖς πολλοῖς, εἶπε, προσεῖχον, οὐκ ἂν ἐφιλοσόφησα. Præclarè hoc, vt cætera, Chryſippus, qui doctore vti noluit Ariſtone, eo maximè argumento quòd multos haberet auditores, id eſt, vt interpretabatur, imperitos, & inter quos nullus eſſet philoſophandi locus. Quo dicto neſcias turbámne auditorum an Ariſtonem ipſum acriùs perſtrinxerit. Cogitanti præterea quantum multitudini tribuendum ſit, Menandri mihi venit in mentem, qui arte & doctrina Philemone longè præſtantior,

sæpiùs tamẽ ab eo superatus est, ita turpi stultóque populi iudicio, vt ridere qui vincebatur, & qui vincebat cogeretur erubescere. Quò pertinet & illud acutè dictum à magistro discipulũ obiurgãte cui vulgus impẽsiùs fauebat; Infelix! nisi quid à te perperã & ineptè fieret, isti haudquaquã tibi plauderent. Censoris personam, & tristis alicuius patrui non sustinebo: prodibit, & eas partes suscipiet Petronius, cognomento Arbiter, cui effusa Satyræ licentia potestatem dedit liberiùs loquẽdi: *Sicut adulatores*, inquit, *cùm cœnas diuitum captant, nihil priùs excogitãt quàm quod gratissimũ auribus fore opinãtur: (neque enim aliter impetrabũt quod petũt, nisi quasdã insidias auribus fecerint:) Sic eloquẽtiæ magister, nisi tanquàm piscator eam hamis escam imposuerit quam sciat appetituros esse pisciculos, sine spe prædæ moratur in scopulo.* In hũc præposterũ morẽ inuectus, statim declarat quæ messis eã semẽtem consequatur. *Adolescentulos in scholis existimo stultissimos fieri: quia nihil ex iis quæ in vsu habentur aut audiunt, aut vident, & cùm in forum venerint, putant se in alium terrarum orbem esse delatos.* Ac paulò post: *Qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt quàm bene olere qui in culina habitant.* Plura in eam sententiam Petronius; quæ nolo commemorare, ne multi

non libenter audiant. Atqui certè si verum agnoſcere volumus, nec nos nimium amamus, cũ ab vtríſque multa peccantur, tum iſtuc in primis, & meritò, reprehenſum eſt, quòd diſcipuli ſiniſtra interdum accipiunt quæ à doctoribus dextra porriguntur. Doctores verò non mediocri laborant inuidia, quòd non ſatis habent nugatoriis imbuiſſe præceptis quos erudiẽdos conduxerunt, niſi ieiunis concertationibus, frigidis quæſtiunculis, abſonóque clamore miſeros exerceant, & in eos diſputationũ laqueos induant vnde nequeant expedire: ex quo effectum eſt vt rabularum plena ſint omnia, cauſidici multi, diſerti pauci, oratoris nullum amplius extet veſtigium. Quanta porrò quótque in ſcholas inuexerunt incommoda; qui ſublato librorum delectu, ea quæ vix, ac ne vix quidem didicerunt, docere non verentur; & ad hæc Pindari verba obſurduerunt? τὸ διδάξασθαι δέ τοι εἰδότι ῥαΐτερον: ἄγνωμον δὲ τὸ μὴ προμαθεῖν. O miram hominum impudentiam! & quibus os eſt adeo durum vt vel pugiles eſſe poſſint! Ecquem enim pudet (verbi gratia) quamuis rudem in vadimoniorum ſponſionúmque formulis, ad exponendam P. Quinctij controuerſiam accedere? Ecquis, licet plumbeus in Prætorum interdictis, A. Cæcinæ pertractare cauſſam reformidat? Nónne ad Corn. Balbi

defenſionem vltrò accurrunt qui in iure ciuitatis Romanæ peregrinantur? Ipſa denique Topica, quæ Tullius noſter, nec imperitus iuris, & ad iuris peritiſſimum ſcripſit, commentariorum, ceu conuitiorum plauſtris, ij potiſſimùm onerarunt, qui ius ciuile nulla ex parte attigerunt: non dico merum illud Romanum & decemuirale, ſed iſtuc peruagatum quod excerpſit, ſiue potiùs concerpſit Tribonianus. Quare non eſt mirum ſi in tantis tenebris tam multa turbant, & qui duces illos ſequuntur in magnis verſantur erroribus. Redeant aliquando in viam, ducémque ſibi ſumant in omni genere doctrinæ numeris omnibus abſolutum (Ariſtotelem opinor facilè intelligitis) qui vt eloquentiæ & iuriſprudentiæ cognationem oſtendat, eloquentiæ originem repetit, non à Corace neſcio quo & Tiſia, iudiciorum ac fori ignaris homunculis, ſed vſque ab Empedocle, qui Græcis iura legéſque deſcripſiſſe traditur. Nempe conſentaneum erat vt poſtquàm Agrigentinus ille docuiſſet quomodo excolenda eſſet ratio, doceret quo pacto expolienda eſſet rationis interpres oratio: ne hirundinum more quicquid in buccam veniret garriremus, & ne in ſermonis mentíſque coniunctione aliquod oriretur linguæ cordíſque diſſidium. Idcirco ſapientiæ gloriâ

quondam florentissimi Ægyptij sacerdotes, qui sculptis quibusdam notis atque simulacris, non literis, rerum notiones exprimebant, vt copulatam esse vim orationis ac iustitiæ significarent, vtrámque vna oculi figura effinxerunt. Siquidem oculus velut tacitus mentis est sermo, vnde ab elegantissimo poëta vocantur *oculi loquaces*, & δίκης ὄφθαλμος Diphilo, ὄμμα δικηφόρον Orpheo nominantur, vel quòd omnia quæ in terris fiunt oculo iustitiæ perlustrantur, vel quod ante quàm loquamur accuratissimè perspiciendum est ne quid eorum quæ dicturi simus æquitati & honestati repugnet. Alioqui in circulis inania verba fundentes, nulláque subiecta sententia quidlibet blaterantes, omnium irrisione ludamur necesse est. Et qui rem æstimabit seueriùs, portentum esse dicet maioribus hostiis, & supplicatione ad omnia puluinaria procurandum, vt apud veteres ex haruspicum responsis, Hetruscáque disciplina, fieri consueuit, cùm pecudes loquutas esse nuntiabatur. Qui leniùs ac remissiùs aget, id contorquebit quod Lacon quidam in lusciniam à se captam, cùm reuulsis plumis perexile corpusculum contemplaretur: auem ego te esse arbitrabar, at tu nihil eras præter vocem. Pulchrè etiam conueniet id quod alius

Lacon, in illa quinquennali celebritate ludorũ græciæ cursoribus obiecit: fustuario quàm corona digniores esse, qui celeritati plurimùm, minimùm studerent æquitati. Hos colligunt laborum suorum fructus, hæc stultitiæ suæ præmia ferunt, qui relicta vera germanáque eloquentia, eam consectantur quam venustissimè confic̃to vocabulo Nouius *Tolutiloquentiam* appellauit. Sed hunc locum non vrgebo diutius, vt in pauca conferam quæ de Topicis dicenda restant. Breuitas enim in oratione non bona, laudis aliquid habet, & eò faciliùs concoquitur molestia, quò citiùs deuoratur. Multorum quidem manibus is Ciceronis liber teritur, nonnulla tamen insunt quæ fallant non admodum perspicaces, latétque vt in picturarum vmbris quiddam reconditum quod prima specie non animaduertant: vbi propiùs intuentes dispexerint, artificis eximiam solertiam admirentur; & omnia, non tàm ad Aristophanis lucernam, vt ait Varro, quàm ad Cleanthis, elucubrata esse fateantur. Quid ergo est? An inter tot interpretes vnus repertus sùm Lynceus, cuius mentis aciem nihil fugiat? Tantum nec mihi sumo, nec aliis tribuo: sed cùm cogitatione præceperim quàm difficile sit munus istuc & pensum absoluere, quò minus in-

genio possum, subsidio mihi diligentiam cõparaui. Neque sane spem nostrã infringet perficiundi difficultas: immò experiundi voluntas, & adolescentium commodis inseruiendi, exacuet industriam, nec in medio cursu concitati animi alacritatem patietur elanguescere. Sublatum igitur onus, quod nec abiicere sine flagitio, nec deponere sine turpitudine licet, perferre pro mearum virium modulo enitar, modò aliquantulum vestra audiendi iudicandíque benignitate subleuetis. Nihil de me spondebo prolixiùs, ne mihi vsuueniat quòd multis accidit, qui malè inita subductáque facultatum suarum ratiuncula, vix mediocria præstare possunt, cùm ingentia facilè pollicentur.

IOAN. PASSERATII PRÆFAtiuncula in disputationem de Ridiculis, quæ est apud Ciceronem in lib. ij. de Oratore.



OSTENTVM ingens Neronis principatu factum narratur, cùm, in agro Marrucino, Vectij Marcelli vniuersũ oliuetũ viam publicam trãsgressum

est:& contrà, è vestigio, in locum oliueti, arua successerunt. Magis verò stupendum apud nos, superiore lustro, prodigium accidit, cùm Hispania migrauit in Galliam : & in media Parisiorum ciuitate superbè inambulantem Celtiberiam adspeximus. Tum quidem primùm, fateor, non absurdam iudicaui Cleanthis & Icetæ opinionem, supera stare omnia, solam in mundo terram moueri. Huc accedebat quòd pleráque huius regni oppida, sæuissimis agitata seditionum procellis, & suis penè conuulsa sedibus, Symplegadum instar, inter se concurrebant : populísque velut œstro perciti, in mutuam præcipites ferebantur perniciem. Itaque, in eâ rerum perturbatione ac vertigine, non potui inducere animum, stare terram : aut audiendum esse Plinium, qui negat Galliam quati terræ motu. Facio inuitus vt recorder ciuium insanias, quas præstaret obliuione sempiterna obruere : sed neque ciuium numero habendi sunt Catilinæ, & Cethegi: neque facile est eam, quæ altè insedit, doloris iniuriæque memoriam citò deponere. Quid enim isti sceleris & amentiæ prætermiserunt? In Regem suum, & optimè de se meritum, perfidiosè coniurarunt : concitata per vim multitudine, regiâ suâ, solióque auito, quantum in ipsis fuit, immanissimè detur-

barunt: coacto latronum exercitu, audacissimè oppugnarunt, ijs ducibus in quos peruagatus ille versus optimè conuenit:

Ἐν δὲ διχοστασίῃ χἀνδροκλείδης πολεμαρχεῖ.

Ac tandem per cucullatum sicarium, emissarium suæ factionis, nefariè trucidarunt: carcerem in Senatum, Senatum in carcerem effuderunt: priuata publicis, imis summa miscuerunt: cunctáque diuina & humana iura violarunt. Præterea hominum forma indutæ (horresco referens!) in ædibus sacris, ad homines verè sacros, concionatæ sunt Furiæ, & ad arma, cædes, incendia, ruinas, direptiones vrbium, populationes agrorum, regionum vastitates, perditissimum quémque impulerunt. Ventum ad supremum erat: & iam infelici patriæ acerbum funus ducebatur; iam ad rogum, cui ciuilis flammæ subijciebantur faces, mœsti atratíque liberi parẽtem prosequebamur; cùm exortus HENRICVS IV. vt alter Asclepiades, salutarem ei dexterã medicinámque porrexit, & ab Orci faucibus ad vitam lucémque reuocauit. Hic nos patriæ, nobísque patriam restituit, si non rectissimè valentem & incolumem, spirantem certè, & meliùs in dies sperantem. Hic nobis lugubria detraxit, mœrorem lacrymásque abstersit, & communis incendij restinxit ignes.

Hic à iugulis noſtris paricidarum gladios, & à ceruicibus grauiſſimum externæ ſeruitutis iugum depulit. Abſque illo eſſet, victrix gentium Gallia ijs indigniſſimè pareret, quibus imperare conſueuerat, &

Impius hæc tam culta noualia miles haberet,
Barbarus has ſegetes. ---

Pro quibus meritis, quas tibi laudes gratéſque perſoluemus? quæ vindici noſtræ ſalutis & libertatis præmia rependemus.

O quà ſol habitabiles
Illuſtrat oras, maxime Principum?
Quo nihil maius meliúſue terris
Fata donauere, boníque diui:
Nec dabunt, quamuis redeant in aurum
Tempora priſcum.

Quos ego verſus hoc libétiùs vſurpo, quòd eos non tam de Auguſto fudiſſe, quàm de HENRICO quarto, multis antè ſæculis, Camœnarũ & Apollinis inſtinctu, ceciniſſe videtur Horatius. Difficilis, & lubricus admodũ locus, cui nũc inſiſto: necdũ planè conſtitui, vtrũ tãtus mihi rex ſilendus, an dicendus fuerit. Silere de tot eius benefactis, ingrati animi crimẽ eſſet, quo nullũ turpius, magíſque fugiendum: de laudum eius, rerúmq; geſtarũ magnitudine velle dicere, ingenij eſſet nimium confidentis: atque huc trãsferri poſſit, quod ſuper Æneïde ſua ſcripſit ad

Auguſtum Virgilius : Nemo ad hoc opus aggredietur, qui non laborare mentis vitio exiſtimetur. Fruſtra erit, & ludet operam profectò quiſquis cũ tã inſigni argumẽto paria facere volet, in quo expoliẽdo pro dignitate ipſi deeſſet vis & facultas Demoſtheni, & Ciceroni ſuum eloquentiæ flumen exareſceret. Alexandrum iſtum vni Lyſippo fingere, vníque Apelli pingere conceditur : deterioris notæ artificibus fas non eſt eum ſuo cælo vel penicillo committere. Viri prudentis eſt id duntaxat oneris tollere quod ſuſtinere & perferre queat; ac Timanthem imitari, vt quod dicendo conſequi non poſſit, tectum inuolutúmque taciturnitatis & ſilentij velo relinquat. Quamobrem mihi ſatis eſt Regiam maieſtatem, tanquam aliquod numinis ſimulacrum, de via, aut à fani limine venerari; & libare tantùm, non etiam ſacrificare Genio Principis, præſertim cùm aliò me vocet officij mei ratio. Proxima inuictiſſimo Regi, & longo tamen interuallo proxima, ſalutanda eſt Academia, eorum more qui redeuntes peregrè, vel in bello capti, & poſtliminio reuerſi, ſaluere iubebant terram patriam, deos penates, cognatos, propinquos, & quicquid ijs erat cariſſimum. Adfuimus quidèm corpore, coacti temporibus & neceſſitudine penè fatali conſtricti: ſed

procul abfuimus animo, vóxque noſtra obmutuit, quandiu hanc hoſtes, partim à ſuis deſertam, partim proditam occuparunt, & è ſacra profanam multis modis reddiderunt. Luſtranda igitur & expianda nunc Academia, Muſíſque iterum dedicanda, diligenti cautione adhibita, ne ampliùs earum templa & ceremoniæ contaminentur. Id vt rectè fiat atque ordine, abigendæ ſunt imprimis obſcœnæ volucres, quæ rapinis cõtactúque omnia fœdãt immundo:

Decolor eſt illis vultus, teterrima ventris
Proluuies, vncaque manus, & pallida ſemper
Ora fame.

Non agnoſcitis volucres: agnoſcite ſine plumis bipedes,

Curua quibus pullam ſubnectit fibula veſtem.

Has Harpyas niſi Senatus & ampliſſimi ornatiſſimíque viri, quibus Academiæ, ſcholæque Regiæ inſtaurandæ tradita eſt prouincia, fugarint & exterminarint, vt pinnati Aquilonis filij in fabulis, fruſtra littoralibus dijs vota nuncupabimus: rurſus ad eos ſcopulos, ad quos nuper eſt fermè adflicta, nauis noſtra referetur. Nequicquam in excolendo Muſarum fundo ſudabimus: nequicquam lolium, lappas, & tribulos extirpabimus, niſi ex agro noſtro hæc filix radicitus euellitur. Meminiſſe debe-

emus quónam pacto profugi homines, nec minùs vagi quàm Scythæ, noua gratuitæ doctrinæ professione vulgò commendati, huc irrepserint, ἀέκητι θεῶν in Academiæ parte consederint: quibus artibus, inhiantes locupletum fortunis, diuites orbos, vel cœlibes, deliros senes, superstitiosas mulierculas, & adolescentulos imperitos deceperint; & velut Circæo poculo, repentè immutarint: vt religionis specie, quam inexplebili auaritiæ suísque fraudibus obtendunt, equum Troianum paulatim introduxerint: vt semper in insidijs manserint, & in speculis steterint, proditionis occasionem expectantes: vt ea oblata, machinam suam continuò aperuerint, armatísque hostibus hanc vrbem, & totam Galliam omni genere calamitatis repleuerint. Ne verò insidias & paratam pestem caueremus, néve impendentia prospicientibus ac prædicentibus cordatis viris crederemus, obstiterunt Chorœbi quidam atque Vcalegontes, qui plures in Ilio nostro quàm Laocoontes fuerunt. Et hos adhuc habemus in sinu Sinones?

Quid hos, malùm, fouemus? aut quid hi sciunt,
Nisi vncta deuorare patrimonia?

At gratis docent: muta literulam, rem acu

tetigeris, *Gratis nocent* : eóque mactandi maiore infortunio, quòd gratuitò sunt mali : quanquam vix istuc sibi persuadebit qui eos bene nouerit. Testes honestissimæ amplissimæque familiæ, quarum sanguinem pro leui docendi opella, & exiguo Mineruali, istæ hirudines exorbuerunt. Testis immanis eorum census, qui cum Regum ac summorum Pōtificum opibus certat. Præclara liberalitas, repudiare drachmam, vt talentum extorqueas! Mirum gen⁹ benignitatis, pro stipe menstrua, immensæ pecuniæ legata, opimásque captare & rapere hæreditates! Institutio puerorum his aucupibus est illix. Pendebūt pulchrè qui ab ea transenna turdi lubricum petent. Gratuita doctrina illis est pro hamo, vel potiùs pro reti-iaculo, quo callidi piscatores cuncta conuerrunt cum puluisculo. Stolidi parentes, qui suos ijs credunt liberos, eadem opera columbas accipitribus, pullos miluijs & oues committent lupis. Sed quid tandem isti, per aureum funem de cælo delapsi magistri, discipulis suis tradunt? nihil sapere, nisi ritus Hispanos, odiū legū institutíque patrij, &, vt priscis vtar verbis, imbelliā, imbalnitiem, impolitiā, impatientiā, merámq; cum Lauernæ sacris barbariē : quam consultò huc inuexerūt opinor, vt eam soli docerent. Interim deli-

tescunt in vepretis nostris nitedulæ, quæ rem ciuium arrodunt: nobiscum impunè versantur speculatores & exploratores Philippi, & eius tyrannidis acerrimi satellites. Atqui discuntur apud eos boni pudicique mores. Sanè tristes cùm aspicias, frugi censeas: nec tamen si fibulam gestant, sunt Hyppolyti; nec si bonos auctores euirant, ideo bonis placent; Gallis præsertim, quibus natura sunt inuisi Deliaci. Magna laus est scilicet, ac palmarium facinus, ex hirco caprum, ex ariete ueruecem, ac ex verre maialem facere. Atque vtinam fabri patribus eorum, qua parte opus fuit, perpetuam imposuissent fibulam: recta hîc non deprauarent ingenia, dum curua corrigere videntur, nec Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, suos edocerent artem mentiendi, & dolos, quos appellant industrios. Quid autem aliud præciperēt vulpeculæ, si scholam aperirent? Sic amant verum hi Chamæleontes, polypi, ac stelliones. Huiusmodi doctrinam, & hos mores, non illis non inuidemus sibi habeant, abeántque simul cum strigibus ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας: & illuc reuertantur vnde malum pedem huc attulerunt. Iampridem vasa collegerunt, profectionis signum datur: quid morantur amplius? Academia nostra certè, quæ lōgum periculosúmq; morbū eorū cōtagione contraxit,

contraxit, nisi hoc leuetur vomitu, vix vnquã conualescet. Reliquum est vt de suscepti muneris ratione pauca disseram: & cur potissimùm ad disputationem *de Ridiculis* illustrandam aggrediar, breuiter exponam. Principiò in vrbe, inuictissimi regis virtute ac felicitate, modò libera, liberè hoc eloquar: simul atque tutò mihi ridere licuit, ridere libuit. Quid facerem? inquit Arpinas Attico, *plorando fessus eram*. Vescantur betis fatui: viuant insulsi quibus displicent sales: Ruri degant ætatem inter rastros & sarcula: inter rubos sentésque, stolones ipsi, ac frutices, consenescant, quos non delectat vrbanitas. Si quis flere quàm ridere mauult, per me licet: solas cæpas prandeat, solum cœnet sinapi, solúmque fumum bibat: & ad tam bellum conuiuium bellos homunculos, amicos nostros, illos dico fibulatos, quotidie inuitet: similes habebunt labra lactucas. Cùm nobis risum vt peculiarem natura dederit, humanum, & naturæ consentaneum putamus, ridere potiùs quàm ringi, quod canum est & asellorum. Risus autem non solùm honesta & liberalis, sed etiam sacra res est. Vt enim Vitulinæ & Lubentiæ, Lætitiæ præsidibus, Romani diuinos honores decreuerunt: sic Risum in deos retulerunt Græci, diémque festum instituerunt, & an-

nuos ludos cum solemnibus sacris ei deo fecerunt: præcipuè Thessali, & ex ijs Hypatenses, qui veneratione cultúque γέλωτος θεοῦ valde celebres & insignes extiterunt. Lycurgus quoque, seuerissimæ ac rigidissimæ auctor disciplinæ, Risus marmoreum simulacrum Spartæ in delubro posuit, sanxítque vt ciues sui, militiæ laboribus perfuncti, ei deo religiosè supplicarent. Nempe sapientissimus legislator æquum putauit & vtile, sicut corpora quiete refici, ita & mentes hilaritate recreari. Quamobrem rideamus & iocemur, quod fiat bono modo: quando nos ab omni reprehensione & ritus Laconum, & Lycurgi tuetur auctoritas. Adstipulantur illis philosophi à Zenone, quibus non satis fuit eloquentiam appellare virtutem, nisi risus & vrbanitatis facultatem eodem nomine decorassent. Risum sibi comitem, & ex eo iucundum cognomen Venus asciuit, quoniam sine Risu esset Venus inuenusta: vt & ipsæ, quæ Veneri ancillantur, sine Risu essent ingratæ Gratiæ. Ex animo nunquam is dolebit cui Risus erit propitius. Aequus fuit Risus Democrito, Heraclito iniquus: vnde fata illorum contraria: & alterius perennes lacrymæ, alterius perpetui cachinni. Adfuit Risus nascenti Zoroastri, qui vnus mortalium risit quo genitus est die, futuræ

incredibilis ſcientiæ felici præſagio. Riſus ad dicendum neceſſarius, non vtilis modò, vel vt languentes excitet audientium animos, vel vt infenſos deliniat, & conciliet áuerſos. Sæpè orator quæ negare non eſt, aut defendere, tempeſtiuo riſu & cauillatione deflectit, ac aliò tramittit, coniectíque in ſe teli vitat aut retundit aciem: quemadmodum bonus gladiator, parua quadam declinatione motúque corporis, aduérſarij petitiones eludit. Riſu ſæpe obruuntur, vel eleuantur, quæ contentione frangi, refellíque argumentis non poterant. Sic noſter Tullius repetundarum reum, & haud dubiè ſontem, L. Flaccum, iudicio & pœnæ legum eripuit. Sic idem patronus L. Murenæ, in manifeſto ambitus crimine, ſalutem dignitatémque tutatus eſt. Quid quòd in bello interdum plurimùm valent riſus & facetiæ? Iocatus in Giſconem Annibal Romanorum multitudine perterritum exercitum ſuum confirmauit. Lacedæmonijs iratum regem Philippum vna ſalsè ſcripta placauit literula: & qui milites in tentorijs regem Pyrrhum probris lacerauerant, facetè tranſlato in lagenam crimine, è periculo capitis, regiæque iracundiæ flamma euolauerunt. Nimis longum eſſet ſingula id genus perſequi: Itaque finem facio, quòd

vereor in aurium vestrarum fastidium incurrere, & quòd ista cras meliùs ex ipso Cicerone audietis.

IOAN. PASSERATII PRÆFATIO in Ciceronis librum de Legibus.



ST hoc moris vetustate confirmatum, vt in ædes alienas ingrediatur nemo, nisi qui fores antè pulsauerit; aut si quis rectà introrumpat, non satis tenere ciuilem vitæ rationem existimetur. Idcirco Lachartus Dux Corinthiorum Cimoni per agros popularium cum exercitu iter facienti; *haudquaquam par fuit, ô Cimon,* inquit, *sine bona Corinthiorum venia per illorum fines te agmen ducere, haud hercle magis quàm iniussu domini in priuati hominis tecta introïre.* Quod & olim non iniquè comparatum est, & nunc iustis de caussis obseruatur; vt sua videlicet cuique domus tutissimum sit perfugium; & ne occulta familiæ, solisque diis Penatibus aspicienda, curiosis pateant oculis inuidorum. Cuius consuetudinis memores primas legum quasi fores nobis esse pulsandas duximus, an-

tequam ingrederemur, & in augustissima iustitiæ adyta penetraremus. Vereor tamen ne nimium proteruè faciam, qui duo clarissimi iurisconsulti responsa labefactare coner. Multorum enim sæculorum spatio corroborata, communíque hominum approbatione munita, nequeunt absque temeritatis suspicione, manifestóque offensionis periculo tentari. Sed qui erunt æqui in cognoscendo, faciles eósdem spero in ignoscendo futuros, quando simplici veritatis studio, non praua contentionis cupiditate, in eo viriculas nostras experimur. Præterea, Ciceronis sententiæ, institutóque de legibus sermoni quæ refellere cogitamus, planissimè aduersantur. Sunt autem huiusmodi: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*: Item, *Princeps legibus solutus est*: quæ si vera sunt, vis iuris vniuersa, dignitásque, atque adeo nomen legis è rerum natura tollitur: Sin falsa esse, sicut sunt, demonstramus, suscepta de legibus pulchrè procedet disputatio. Excutiamus igitur hæc verba Vlpiani capite primo de cōstitutionibus principum; *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*. Vtrum recta, honesta, iusta, quamuis absit principis voluntas, legis loco non sunt? aut accedente principis voluntate, praua, turpia, iniqua, vim legis obtinebunt? Illud non negabit, opinor, & hoc as-

sentietur, fretus astipulatoribus Paulo atque Mæciano. Paulus enim, capite vndecimo de iustitia & iure, *Prætorem* ait *ius dicere, etiam cùm iniquè decernit*: & Mæcianus, capite sexagesimo quinto ad S. C. Trebellianum, *quod erit per errorem vel ambitionem malè iudicatum, nihilominus rei iudicatæ pondus & auctoritatem habiturum*. Nunc demum Anaxagoræ credo niuem esse atram; & Syracusio Nicetæ, cælum, stellas, solem, lunam, supera denique stare omnia: neque præter terram, vllam rem in mundo moueri. Sunt ista non iuris antistitum, sed nescio cuius Anaxarchi assentationis proiectæ perditæque impudentiæ, qui vt Alexandrum excitaret, ex eo luctu, quem ob Cliti cædem acerbissimum conceperat, hunc in modum regem fertur alloquutus: *Ecce Alexandrum illum magnum, quem vnum omnes venerantur & intuentur. Ecce prostratum humi, flentem, & eiulantem instar mancipij, legum ac infamiæ metu. Numquid venit in mentem te vicisse vt imperes, non vt vanæ hominum opinioni seruias? Per te arbitrum æquitatis honestatisque fines regendi sunt: quicquid statueris iustum honestúmque censebitur. Cur enim Themis à poëtis fingitur assidere Ioui? Nempe quod omnia, quæ à regibus fiunt, iusta sunt & honesta.* Gnathonem, aut Phormionem, non Philosophum loquutum putes, &

verò Antiphatem aut Polyphemum: qui percontanti eidem regi cuiusmodi videretur conuiuium cui adhibitus erat; *Nihil*, ait, *splendidius, modò Satrapæ alicuius cruentum caput apponatur*: quam sæuam immanémque assentationem, quæ debuit, pœna mox consequuta est; sensítque in mortarium à Nicocreonte coniectus & ferreis pistillis contusus nunquam Iustitiæ numen impunè violari. Similis oratio Caracallam præcipitem ad incestum egit. Is ad nouercam eleganti forma oculos incontinentes adiecerat; cúmque libidinis impetum nonnihil retardaret pudor, hactenus interpellauit, *vellem, si liceret*. Fatebatur monstrum principis, non licere quod placebat, sed nefaria mulier hac responsione labantem ad scelus impulit: *Si libet, licet. Nescis te imperatorem esse, & leges dare non accipere*? fuit & Atheniensium erga Demetrium regem adulatio longè fœdissima, qui sciuerunt, vt quod ad res diuinas sanctum ac religiosum; quod ad humanas iustum & honestum esse, quicquid regi Demetrio videretur. Inscitum mediusfidius populi scitum, quo reponebatur τὸ δίκαιον ἐν τῇ χειρὶ, & pro ratione dominabatur principis libido. Nimirum hinc natum illud est, quo passim aulæ perso-

nant, *Sic placitum*, quæ Iouis ſummi, fatíque verba quo modo accipienda ſint nulli magis ignorant quàm qui frequentiùs vſurpant; Diſcant ex Horatio: *Sic potenti Iuſtitiæ placitúmq; Parcis*. Ac ne quis miretur à me iuſtitiam Iouis nomine appellari, ſic habeat, Iouem ipſum eſſe ſolem: & veteribus Theologis perſuaſum fuiſſe, ſolem oculum eſſe iuſtitiæ. Ideo populus Romanus, vt memoriæ à Plutarcho proditum eſt, annum Ioui, & Iunoni menſes conſecrauit, quod Iouem eſſe ſolem & Iunonem lunam arbitraretur. Eſt autem ſol, vt eſt apud Orpheũ, ὄμμα δικαιοσύνης, & qui ab Homero dicitur

Ἠέλιος, ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει.

Δίκης ὀφθαλμὸς à Diphilo comico nominatur:

Ἐστὶν δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ:

Vt in celebri epigrammate,

Ὄμμα δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γιγνόμενα.

Itaque quicquid iuſtitiæ placuit, aut principi iuſtitiæ cultori, quin pro lege ſit non repugnabo; nullam verò legis ne vmbram quidem habere fatebor, ſi quid princeps iubeat quod iuri & honeſtati non ſit conſentaneum. Exempli gratia, Xerxi placuit Helleſponto plagas infligi: quæro an in mare & fluctus lictor lege egerit. Placuit Caligulæ equum ſuum incitatum Conſulem deſignare: quæro an

eodem iure quadrupes, hero bipede dignior principatú, consulatum initurus sit, quo centuriatis comitijs, auspicato in campo, cunctis liberísque suffragiis populi, renuntiati Metelli aut Scipiones. Versetur vobis ante oculos equus in toga candida, qui centurias ambiat, prenset vngulis, & obuio cuíque adhinniat, mox cum fascibus & securibus tolutim trabeatus incedat:

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Non est irridendus primus ab imperatore magistratus, ísque legitimus, quia sic Cæsari placuit. Placuit eidem Caligulæ vt Luna sibi nuptum daretur, quam plenam fulgentémque assiduè in amplexus inuitauit, contracta sit cum Ioue & Apolline affinitas: Latona generum inuenerit. Placuit Neroni vrbem florentissimam, domicilium imperij, caput orbis terrarum incendere; incendit: lege factum defendamus. Placuit matrem interficere, interfecit, parricidium comprobemus: placuit exectum marem, velatum flammeo, præcedente facula & tibicine vxoris loco domum ducere; è cinædo existat repente materfamilias, & sint legitimæ nuptiæ. Sexcenta id genus commemorare possem, quibus si legis nomen imposueris, vel ipsi risum moueas Heraclito: ita ridiculum erit legis appellatione honestari

ea, quæ ciuium, gentium, naturæque iura peruertant. Meliùs Dionysius, licet tyrannus, & nobilitatæ insignísque crudelitatis tyrannus, cuius mater cùm opere summo cuperet esse in matrimonio cuiusdam adolescentis forma & ætate integra, ipsa iam grandis natu, contendebat à filio vt ad cogendum reluctantem vim dominationis interponeret. Tum ille: Ego quidem, ô mater, Syracusanis suas leges suámque libertatem eripere potui: naturæ verò leges abrogare, nec mihi nec alij cuiquam fas fuerit. Sed ne queratur Vlpianus malè secum agi, rationem qua nititur proferamus & expendamus: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Quid ita? quia populus principi lege regia suam omnem potestatem contulit. Fac esse certum quod controuersum manet de lege regia: tamen populus non plus concessit principi quàm sibi tribuerat, idque me docuit cap. quinquagesimo quarto de regulis iuris: *Nemo plus iuris ad alium transferre potest quàm ipse habet.* At nunquam populus tantùm sibi sumpsit vt quod iuri aduersaretur id lege lata ratum esset. Testis est solemnis, quæque omnibus rogationibus adscribebatur formula: *Si quid ius non esset rogari, eius ea lege nihilum rogatum esse.* Pergam porrò, & ostendam non modò pro lege non habendũ, si quid princeps in-

iuſte iubeat, verumetiam antiquiſſima lege conſtitutũ fuiſſe, ne fraudi eſſet ei, qui iniuſte & per vim imperantẽ occidiſſet. Linus Apollinis filius, patruum Herculem cithara canere docebat: citharœdi præcepta tardiùs percipiebat Hercules, vt pote qui meliùs arcum & ſagittas quàm citharam & fides tenderet: hebes ingenium diſcipuli acriter Linus increpat, & verbis addit verbera. Inſolens erat Herculi vapulare, idque immeritò: ſibi temperare non potuit, quin magiſtrum plectro plecteret & interimeret. Arguitur cædis, factum confitetur: res inuidioſa, facinus atrox, à diſcipulo magiſter, & fratris filius à patruo interfectus. Ex illa tamen iudicij flamma euolauit recitata lege Rhadamanti, ne Iuriſconſultis quidem ſatis nota: ὅς ἂν ἀμύνηται τῶν χειρῶν ἀδίκων ἄρξαντι ἀθῷον εἶναι, quæ lex extat apud Apollodorum in libro ſecundo bibliothecæ. Proſpicio quid contrà referat Vlpianus, *Principem ſcilicet legibus ſolutum eſſe*, cap. 31. de legibus & S. C. Benè habet, iſtuc ibam: alterum enim eſt eorum quæ mihi refutanda propoſui: longè petitis argumentis nihil eſt opus: in principum cauſſa, principum teſtimoniis negotium tranſigetur. Demarathi Spartanorum regis fortunam quià ſuis exilio multatus erat, nonnulli miſerabantur; & malè factum dicebant quòd

rex à suis pulsus esset, nec locum ac dignitatem in vrbe sua regni viribus retinere potuisset: Imò factum est optimè, inquit Demaratus, quòd Spartæ plus leges, quàm reges valuerint; alioqui tam absurdum esset in administranda ciuitate principem non teneri legibus, quàm in dirigendo nauis cursu gubernatorem non hærere gubernaculo. Rex eiusdem gentis Leonidas eo potissimùm mortem suam & trecentorum, qui secum ad Thermopylas ceciderunt, consolatur, quòd dum patriæ legibus obtemperant, pro eius salute sanguinem vitámque profuderint,

Ὦ ξεῖν' ἄγγειλον Λακεδαιμονίοις, ὅτι τῇδε
Κείμεθα, τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις.

Quos Simonidis versus Latinè sic meministis redditos à M. Tullio in Tusculana prima:

Dic hospes Spartæ nos te hîc vidisse jacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Quid Agesilaus? inter omnes constabat rem in Asia præclarè gesturum esse, cuncta victoriam ostentabant & pollicebantur: tantus terror armorum quæ intulerat, barbarorum animos peruaserat; allata est epistola quâ reuocabatur ab Ephoris: gloriam & prædam, quæ in manibus erat, abiecit, ac è vestigio regressus est in patriam, dictitans *verè munus esse regium parere institutis patriæ, & magistratus tum maxi-*

mè imperare, cùm maximè legibus obedirent. Pari animo Archidamus Zeuxidami filius hospiti interroganti quónam pacto fieret, vt tam benè Sparta regeretur, respondit, quod illic magistratuum imperio ciues, potestati legum vltrò subiecti essent magistratus. Prætereundum silentio non est, quod regi regum quotidie nuntiabatur. Ingressus in cubiculum prima luce vnus è purpuratis, clara voce monebat, vt surgeret, & ea procuraret negotia, quibus ipsum præfecisset Mesoromasdes; is est Persarum lingua deorum maximus, eadémque lex *certa Dei mens*, vt est in Ausonij monosyllabis:

Lex naturali quam condidit imperio ius.
Ius genitum pietate hominū, ius certa Dei mens.

Testimonium super ea re dicet & is quem suprà commemoraui Alexander: fauebat impensiùs Thessalo tragœdo, aduersus Athenodorum certanti de histrionia: victum ab aduersario Thessalum postquam audiit; Maluissem, inquit, dimidiam regni partem amittere, quàm istuc accidisset; verùm quid faciam? cæteris omnibus me superiorem esse studeo; legibus inferiorem omnino esse conuenit. Nec ab ea sententia multùm aberat Antigonus, cùm diceret *regnum & principatum nihil esse aliud, quàm splendidam seruitutem*. Prodi-

tent Zaleucus & Charondas, qui suo sanguine leges à se latas sanxerunt: sed præstat ipsum producere Augustum, ad cuius legem Iuliam hæc Vlpiani verba, *Princeps legibus solutus est*, pertinent, vt ex inscriptione cognoscitur. Vehementi commotus perciúsque ira, quendam ex Iuliæ filiæ adulteris manu verberabat: exclamauit ille, *Legem tulisti, ô Cæsar, qua lege sua huic crimini pœna est irrogata?* Statim ad se rediit, legísque suæ à se violatæ adeo pœnituit principem, vt totũ illum diem cibo potúque abstineret. Cuius principis maius fastigium est, quàm fuit Augusti? Is tamen legis amplitudini concessit, quæ omnes res exuperat, summúmque cæli verticem transcendit. *Regum timendorum in proprios greges, sed reges in ipsos imperium est Iouis*, id est legis, quæ mortalium est regina, vt diuinitus scripsit Pindarus, & Pindarum imitatus Chrysippus περὶ νόμου· ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς, θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, & quæ sequuntur, Martiani I. C. beneficio ab obliuione & interitu vindicata capite secundo *de legibus Senatúsque consultis*: Quamobrem malè de principibus & ciuitatibus merentur, qui vel clam in aures principum insusurrant, legibus nõ teneri vel palam inculcant. Magnam enim ad omne facinus aperiunt fenestram, impunitate proposita, le-


gúmque sublata reuerentia. Ex illo fonte, quæ manant in cœtus hominum jure sociatos incommoda? Nam, vt ad speculum formã suam fingunt mulierculæ, sic ad principis vitam mores suos, ciues componunt: quæ si casta puráque est ab omni sceleris labe, vix vlla in ciuium moribus insidebit macula: sin se voluptati atque libidini mancipàrit, immane quantum noceat exemplo. Nisi enim caput ipsum rationi obtemperet, non est vt cætera membra consilio gubernentur. Poteram meo jure finem dicendi hîc facere, paululum tamen adhuc commorabor in eodem loco, & ex suis subselliis Vlpianum contra se testem suscitabo. Dic mihi, Vlpiane, qui principes extra legum metũ ponere voluisti, vt Deos Epicurus extra mundos, quos innumerabiles somniauit, ne fortè ruinâ eorum opprimantur: quid scripsisti ad edictũ Prætoris? *Quod quisque juris in alterum statuerit, vt eo ipse vtatur*, capite primo. Hoc edictũ summam habet æquitatem. Quis enim aspernabitur idem jus sibi dici quod aliis dixit, vel dici effecit? Inter se nullo modo possunt ista cõgruere, æquissimum est, vt qui jus aliquod statuit, eodem vtatur: &, Princeps legibus solutus est. Suísne princeps legibus solutus erit & adstrictus simul? Quæret diuerticulũ, & eò confugiet, semper excipiẽdum esse prin-

cipem. Istic malè delitescit, retrahetur & verba sua cogetur agnoscere, capite octauo de inofficioso testamento. *Si Imperator heres sit institutus, posse inofficiosum dici testamentum, sæpissimè rescriptum est.* Finge me immerentem præteritum esse à parente vel indignè exheredatum, & principem scriptum esse heredem; si iustam esse meam de inofficioso querelam iudicibus probauero, te auctore, edicti legúmque auxilio, meam principi hereditatem eripere potero. Quid autem opis & auxilij ferent mihi leges? Princeps ijs non tenetur. Vrgere nolo diutiùs, & pertendere aduersus eum qui meo iudicio in jure familiam ducit: Vlpianum admiror, Iurisconsultorum pluris facio neminem: quare, vt cum bona eius gratia hinc discedatur, aliquam ineamus rationem. Hæc autem erit de prudentissimorum hominum sententia, Celsi videlicet cap. 29. *de legibus*: Iuliani cap. 17. *de manumissis testamento*: & Marcelli cap. 3. *de ijs quæ testamento debentur*; vt duo illa responsa benigniùs interpretaremur Principibus, quales nostri qui re sunt, vt nomine principes, nihil placere, nisi aut quod rectum sit, & tunc verè dici legem, aut saltem, quòd ad suorum vtilitatem spectet, & tunc legis vim obtinere. Solutos autem videri legibus, qui sponte faciunt quod alij le-

gum

gum metu. Quem interpretem improbabit nemo, qui Iurisconsultum Paulum audierit de legatis 3. cap. 23. *Ex imperfecto testamento*, inquit, *legata vel fideicommissa Imperatorem vindicare inuerecundum est. Decet enim tantæ maiestati seruare leges, quibus solutus esse videatur.* Satis jam factum consuetudini, pulsatáque legum janua nobis patet, solis temporis angustiis excludimur. Itáque vt commodiùs id fiet die crastino, morem disciplinámque augurum secuti, in dissoluenda dimittendáque concione. *Alio die* pronuntiabimus.

IOAN. PASSERATII PRÆfatio in Cic. Epistolam ad Hirtium & Cæsarem.



VETEREM ac solemnem populo Ro. hunc fuisse morem ipsis Quiritium monumentis proditum est, vt homines ingenio abundãtes, famæque & doctrinæ cupiditate incensi, interpellata tẽporibus studia, vel ferijs legitimóq; otio intermissas lucubrationes, Vulcanalibus potissimùm instaurarent. Cuius moris premẽtes vestigia liberaliũ doctores artiũ in hac Academia florentissima,

partim Calendis Octobribus rei literariæ solent auspicari: quamuis olim præstitutæ ei rei fuerint Idus Octobres, vt Valerius indicat Martialis:

Ferulaque tristes, sceptra pædagogorum,
Cessent, & Idus dormiant in Octobres:

partim, vt ij qui de fisco salarium accipiunt, expectant donec annus litium redierit, & ad suum se munus referunt circiter Idus Nouembres. Quo fit, vt ego, qui multò seriùs in hoc *charteum*, vt Varro loquitur, *stadium* regredior, in negligentiæ crimen vocari possim. Neque sanè deprecarer culpam, nisi æquum esset ignosci, ei præsertim, qui paratus sit, quod cessatione peccatum erit, diligentiâ corrigere, & moram sarcire industriâ. Liceat etiam iustissima excusatione valetudinis vti, & trimestris morbi caussam adferre vel sonticam: Sed ægrotis apud Medicos potiùs quàm apud vos de morbo suo conquerendum. Missa igitur faciamus quæ sunt aliena, & ea persequamur quæ ad rem vestram, fidémque meam, magis pertinent. Memini enim me vobis pridem pollicitum esse interpretationem *epistolæ Antonij ad Hirtium & Cæsarem*, ad quam ecce accingor, si priùs pauca de Cicerone & Demosthene: ac pauló plura de Antoniano scribendi genere dixero. Extat inter Demosthenis opera

Philippi regis Macedonum epiſtola, quâ cùm Athenienſibus de grauiſſimis iniurijs expoſtulat, & ad extremum illis bellum denunciat. Arripit eam occaſionem Philippo infenſus Demoſthenes, & ad hoc bellũ alacritate ſumma ſuſcipiendum, fortiſſiméque gerendum, vt pium, juſtum, neceſſarium, populares ſuos acerrimis eloquentiæ ſtimulis incitat. M. Tullius, qui ſe totum ad Demoſthenis exemplum componit, ſimilem nactus inimici Antonij epiſtolam, eius ſingula propè verba exagitat; inſtat, vrget, eóque incumbit, vt hoſtis à ſenatu judicetur Antonius. Infelicem vtriuſque oratoris memorare conatum, exitúmque belli ſuaſoribus ipſis calamitoſum, & ſuis ciuitatibus peſtiferum, horret ac refugit animus. Amborum tamen inimicitijs id debemus, quòd, abſque illis eſſet, neque illam Philippi, neque hanc Antonij epiſtolam haberemus. Audiſtis cur epiſtolam Antonij Tullius noſter inſeruerit ijs orationibus, quas Demoſthenis imitatione Philippicas inſcripſit; nunc cur Antonianum dicendi genus in eiuſdem Ciceronis & aliorum reprehenſionem incurrerit, attendite. Nullam omnino eloquentiæ laudem qui M. Antonio tribuit, neque cum Plutarcho, neque mecum ſentit. Tenuit initio gentile decus, vt cui paternus auus fuerit vir eloquen-

tissimus M. Antonius, quem de ratione dicendi cum L. Crasso disserentem *in libris de Oratore* M. Tullius inducit. Quanquam hæc nepotis facundia militaris magis quàm forensis fuit, & armatæ quàm togatæ aptior concioni. Verùm quicquid erat adeptus à natura boni, quadam perplexi, obscurique sermonis ambitione postea corrupit, falsáque recti specie paulatim in vitium delapsa est virtus. Cæsar quidē Augustus, qui nihil antiquius ducebat, quàm apertissimè animi sensum exprimere, in eo damnabat *reconditorum verborum*, vt appellabat, *fætores*: Et qui Tiberio priuigno non parcebat exoletas voces aucupanti, collegam suum Antonium increpabat, vt insanum; quòd Annij Cimbri, Verrijque Flacci æmulus, ea scriberet quæ mirarētur citiùs homines quàm intelligerent. Exorti sunt, his annis viginti proximis, non dissimili laborantes insania, noui quidam Antonij, vtinam minùs multi! quorum causſâ, ne quid dissimulem, hanc præfatiunculam institui. Si quidem me facturum operæ pretium putaui, si istum animi morbum vel arte aliqua persanarem, quod in ijs difficillimum est, qui sic ægrotare malunt quàm valere, vel aliqua ex parte imminuerem: idque saltem assequerer, ne hæc apud nostros latiùs serpat contagio. Atque vt ex quo capite om-

nis hic manet error videatis, has nobis turbas dedit, daturáque est inconsulta famæ cupiditas, & intempestiua eruditionis affectatio. Blandum (me hercule) malum, eóque cauendum diligentiùs. Nempe sibi magnificum fore, ad nominis commendationē credunt adolescētuli, si cùm aliquid repererint Grammaticorum vulgo indictum, vel inauditum, id omnibus chartis illinant, & eo vtrámque impleant paginam: nec semel coronam se meruisse ciuicam arbitrantur, si vnum aut alterum verbum, eorū operâ, quasi quodam postliminij jure, videatur in Latium rediisse. Agnosco ingenium: probo indolem: nec reprehendo quod in literis sedulò moliuntur; dum id bono fiat modo: & inde proficiscantur vnde oportet. Nunc contrà fieri cernimus, & ridemus, quod aiunt, *cantherium in porta*: quoniam longum iter ingressi, vt linguæ Latinæ regio longissimè latissiméque patet, non animaduertunt se ad eius limen offendisse: neglectísque auspiciis, quorum in principiis vis inest maxima, se quò magis progrediuntur, eò minùs rectè feliciterque procedere. Quid ergo est? nondum illis optimus eloquendi magister persuasit, *vitium in oratione vel maximum esse, à vulgari genere, & communi consuetudine sermonis abhorrere*: nec illud ex Aristotelis tripode oracu-

lum audierunt, μόνη λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι, vnicam & ſingularem orationis eſſe laudem, ſi perſpicua & aperta ſit. Cur enim à natura data nobis oratio? nónne vt cùm fideliſſima, tum apertiſſima mentis noſtræ ſit interpres. Data lingua, quæ tacitæ cogitationis ſit internūcia, & complicatas notiones noſtras euoluat. Data vox, vt varios animi motus exprimat, non vt imitetur auium garritus, qui egent augurum interpretatione, Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας, inquit *in Phœniſsis* Euripides; & qui planè ſimpliciterque verba facere non didicit, neceſſe eſt ignoret quid ſit Romanè & Latinè loqui. At in procliui eſt, inquiunt, nec in eo laborandum quod & pueri & mulierculæ ſua ſponte faciunt. Experiantur iſti qui deſueuerunt: quàm id ſibi jam ſit arduum ſentient. Nam quemadmodum qui in compedibus & tenebris diu iacuerunt, licèt emiſſi ſolutique ſint, vix tamen incedere aut lucem ferre queunt: ſic in obſcuris verborum ambagibus, & denſa orationis caligine diu verſati, cùm jubentur prodire in publicum, & more cæterorum hominum, loqui, æſtuant, hæſitant, circūſpectant, nec tria verba cōmutare poſſunt. Atque vt ea quæ liquida ſunt faciliùs turbaueris, quàm effeceris vt quæ turbida ſunt liqueſcant: ſic ex perſpicua obſcurā, quàm ex obſcura perſpicuam

faciliùs reddideris orationem. Et vt eæ lanæ, quæ natura candidæ sunt, si semel arte infuscantur, natiuum colorem numquã postea recipiunt: sic orationis candor hac vetustatis infectus fuligine, prorsus interit; & in eiusmodi maculis eluẽdis fullones operam ac cimoliam perdunt. Quamobrem nondum satis constitui deridendine magis sint, an miserandi, qui omnia Latini sermonis conuerrunt purgamenta, vt eorum scripta niteant: & quod in Ennio Virgilius legit, relinquunt: quod reliquit, libentissimè legunt: est autem eiusmodi, vt si nominare velim, honos auribus præfandus sit. Splendorem, opinor, petunt è ferrugine, veterique panno depexam & detritam assuunt purpuram, vt suas nobis diuitias ostẽdant; séque indoctis venditant pro gemmariis, vt à doctis habeãtur scrutarii. Quòd si nihil illos nisi priscum delectat, nuptias censeo contrahant Manilianas, & Cascus Cascam ducat: vel si perplexa & contorta illis tantopere placet oratio, ad Delphicam se conferant dictionem. Sin metuunt ne intelligantur, quin vtuntur consilio Phauorini, & tacent, atque ab infelici charta prurientem abstinent manum? Verùm nos nostráque nimium amamus sine riuali: &, vt quocunq; pacto innotescamus, ancipitẽ subire ingenii aleam malumus quidlibet scriptitãdo,

quàm ſine vlla exiſtimationis noſtræ jactura, certiſſimum amplecti ſilentij præmium. Videte præpoſtera iudicia. Cùm variæ mortalium linguæ, diuerſique ſermones eodem tendant, vt apertè quiſque noſtrum eloquatur quæ ſentiat, recta ſimplicíque via, natura iſtuc ducit: nos hanc ducem ſpernimus, & imperitorum opinionem ſequimur, quæ per multas ſalebras, multóſque anfractus, tandem eò pertrahit vbi pro eloquētia balbutiem doceamur & infantiam. Sordent nobis Tullius, Cæſar, Terentius: Valerij Antiatis, Cincij, Cæiij, Piſonis, Fabij Pictoris, Quadrigarij, Siſennæ annales requirimus. Vnde tam delicatum faſtidium? Cato, & Varro, vix ad ſtomachum faciunt: vix auiditatem noſtram explent primi Conſulum faſces, & faſtorum incunabula: Decemuirales tabulas, leges regias, Saliare carmen, icta cum Sabinis fœdera, Fecialium iura formuláſque tranſcendimus, vt penetremus in ſermonem Aboriginum, tamquam ſimus cum Egeria Numæ, aut cum Euandri Carmēta loquuturi. Equidē mihi ſæpe cogitanti cur hæc à juuentute noſtra tam cupidè expetantur, id vnum in mentem veniebat, *magnis erroribus magna interdum prætexi nomina.* Sectatores enim ſe pleríque iſtorum eſſe profitentur Plauti & Salluſtij; grauiſſimíſque nituntur aucto-

ribus, nisi auctoritatem illi desugerint. At hoc non est, mihi credite, Plautum imitari, quædam modò Plauto sublegere, vel obsoleta ad antiquitatis speciem, vel obscura ad eruditionis ostentationem. Quadruplicem potiùs adhibeant cautionem ingenui adolescentes in euoluendo Plauto, si mihi obtemperare velint: Primùm, si quæ verba ridiculi caussâ confingit, vt multa procudere solet, vel si qua iungit audaciùs Aristophanis more; ea comicæ putent esse licentiæ, neque sibi permittant. Deinde si qua occurrent obscœniora, vt lasciua fuit scena illorum temporum, nullam inde concipiant turpitudinis maculam; sed per ea sic incedant quasi per mediam Suburram: properent ad sobrium vicum, aut ad aliquod pudicitiæ sacellum. Præterea nimis prisca verba, & ferè desita, sibi tantùm seponant ad cognitionis oblectationem: vt elegantes consueuerunt homunculi antiqua vasa, sigilla, & numismata; quæ recondita delectant, neque deprompta inter quotidianam supellectilem deteruntur. Sirpos denique vitent, & Plautinarum quæstionum cruces, in quibus frustra se tot fiſſe viros doctiſſimos M. Varronē, Ælios, Gallum, & Stilonem, Ateios, Capitonem, & Philologum videmus. Cætera omnia, meo bono periculo, studiosè consectentur, quæ si fue-

rint assequuti, non erit quòd alium Latini sermonis fontem ad hortulos suos irrigandos desiderent. Venio ad Sallustium, cuius se quoque imitatores videri volunt. Quod is olim arguitur fecisse, vt ex *Catonis Originibus* multa furaretur quæ pro suis ederet: id censeo faciant in scriptis Sallustij: furíque ipsi surripiant quod non minùs aptè concinnéque in rem suam possint conuertere. Si propitia fuerit Lauerna, bonúsque Mercurius, haud metuam coïre societatem huius criminis, & ope consilióque meo furtum esse factum confiteri. Imò verò si judex in hac quæstione sedeam, non modò eos meâ tabellâ furti absoluam, sed etiam laude ac præmio dignos judicabo. Atqui sanè turpius nihil est his furibus manifestariis, qui neque cauere ne deprehendantur, neque rerum furtiuarum signa commutare didicerunt. Verba tantùm obsoleta venantur, intermortua suscitant, sepultáque effodiunt, quæ passim scriptis suis & sine vllo delectu aspergant: vsitata, trita, in medio posita, illos latent: Et qui nosse laborant quo modo rex Latinus cum Iano fabulatus sit, quis auorum suorum sermo, ante centum annos fuerit, ignorant. Cur si libet iis esse antiquariis, non prisco sermone fabellas nobis componunt Milesias, Apuleij exemplo, eiúsque felicem imitantur

audaciam; aut verecundam in eo genere A. Gellij diligentiam; quem præclari emendatores Agellium appellari jubent. Ineptè, & penè dixerim improbè, cùm id repugnante fiat Valerio Grammatico, & re & nomine Probo. Mitto quàm inæquabili ac discolori filo eorum texatur oratio: quàm longè arcessita verba, ideóque putida: quàm discrepantia, & alieno loco posita: in quibus tam perit gratia, quàm in beneficiis malè collocatis. Scio, quosdam esse, paucissimos tamen, quibus hic priscè loquendi scribendíque conatus præclarè successit: quorum laudi semper fauebo, tantùm abest vt quicquam de eorum fama detractum velim: Quin haud negauero me vsque eò antiquitatis studio teneri, vt si auctio necessariò facienda sit, res alias omnes potiùs subiecturus sim hastæ, vocíque præconis, quàm abalienaturus illa, quæ animi caussâ multis jam annis & vigiliis mihi comparaui: Sed monendam mihi juuentutem putaui, vt dum tener est animus, dum flexibile ingenium, dum stylus quocunque ducis sequitur, vt statim optimis assuescat. Dehortor etiam ab imitatione dissimillimi generis hominũ, qui toti sufflati fucóque obliti, bonam habitudinẽ, munditiámque, & elegantiã orationis mentiuntur: vbi propiùs inspectaris, nihil sani, nihil succi, nihil neruo-

rum: & quorum ſermo funiculis ac fidiculis, non articulis, cohæret. Hi ſunt qui Tullianis verbis implicati, vt in pampinis inuoluculi, longiſque & contortis comprehenſionibus verborum, ſibi & imperitæ multitudini meri videntur Cicerones, aut ſaltem Ciceroniani; quod poſterius ego lubens illis concedo; eóque amplius, vt ſyllabâ tantùm nomen augeatur, ſintque & habeantur Ciceroniaſini. Non ſunt tamen iſta huius diſputationis. Nam ſentio me in altum abripi, metuóque ne jam longiùs quàm deſtinâram prouectus ſim. Itaque inhibeam, optimum eſt, & me referam in portum, quando ſuſceptum definitúmque curſum jam confeci. Oſtendi enim quid Tullio noſtro propoſitum fuerit in carpenda inimici Antonij epiſtola, cúmque in hac re Demoſthenis ſequutum eſſe exemplum. Et quia περὶ ἀρχαιολογίας mentio inciderat, ab eius prauo ſtudio reuocare conatus ſum illos qui nimiùm præcipites illuc feruntur: oraui vt pauliſper ſe ſuſtineant, & firmius ac maturius judicium expectant, quò veterum ſcripta legere, expendere, & in vſum ſuum traducere commodiùs poſſint. Rectè nécne cenſuerim, alij viderint: hoc liquidò tantum affirmauero, me bona fide conſilium dediſſe, cujus neque me vnquam, neque vos, vt ſpero, pœnitebit.


IOAN. PASSERATIVS N. R. S.



Mo te quòd Plautum amas, amores meos: adeóque non offendor riualibus, vt ad eius notitiam & familiaritatem aditum permultis quotidie coner aperire. Hoc si tibi persuaseris à me fieri bona fide, quod nunc dicam bono animo, æqui bonîque consules. Dum literas tuas, & libellum vnâ missum lego, animaduerti te studio Plautini sermonis labi longiùs, & ad prauos antiquitatis imitatores diuertere, quibus omne penus est in priscis glossematis, & omnis cura in concinnando tessellato Lucillij opere. Blandum & peruicax malum ista κακοζηλία, à qua nisi maturè caues, stylus tibi perpetuò perierit. Sapies, si rationem ita mutabis, vt eum tibi fingas & læuem & vberem; meminerísque sine filo æquabili orationem non rectè contexi. Aliud est enim scribere, aliud suere centones; quod quid faciunt, vix est vt non in peruagatum morbum incidant, cui jam olim à Marone inditum nomen, *Attica Febres*. Si plusculum essem nactus otij, lon-

giorem haberes epiſtolam. Sed ea nihil opus eſt, quando vir optimus, tuus pater, te monet amborum vicem: cui, ſat ſcio, parebis monſtranti bene. Is verò mihi, hæc pauca vt exararē auctor fuit, ne mireris me tibi conſiliū nō petēti dare. Vale. Lutetię Pariſiorū. V. Kal. Apriles.

IOAN. PASSERATII PRÆfatio in Catilinam Salluſtij.



Q VIBVS ex rebus togatorum longè doctiſſimus M. Varro, in ſatyra Menippéa *Neſcis quid ſerus veſper vehat*, conſtare dixit omnibus ſuis numeris abſolutum conuiuium; ſi collecti belli homunculi, ſi lectus locus, ſi tempus lectum, ſi apparatus non neglectus: earum ego rerum partem alteram nunc eſſe nobis oblatam video, alteram ſpero non defuturam. Adeſt enim locus docendi auctoritate ampliſſimus, diſcendíque frequentiâ celeberrimus: & anni tempus dudum vênit quo nos ad hæc noſtra munera referre conſueuimus. Belli autem vt conueniant homunculi optare poſſum, præſtare non poſſum, Auditores: id à vobis pro humanitate veſtra expectatur, neque tamē vt valdè faceti, vrbani, cōmo-

dique sitis postulo: abundè comitatis erit, si, quod in templis olim jubebatur, *hoc agetis, fauebitis linguis*, & vos hinc non commouebitis ante sacrorum solemne verbum, *I, licet*. Quod ad conuiuarum numerum attinet, Terentia lege soluti sumus, quæ vetat conuiuas intra Gratiarum, aut supra Musarum numerum adhiberi. Nam hoc quasi epulum est, tam inuocatis quàm vocatis præbetur, & omnibus promiscuè jus est accumbere. De apparatu, nihil magnificè pollicebor, nec eorum ambitiosas imitabor ineptias qui diuersorij ianuæ inscribebant, *Hospes hîc bene manebis*. Accipiam vos vt potero, & vt frugi homines oportet, vtárq; Medicorũ consilio qui vitandas esse monent cœnas dubias. Itaque faciã vt ante-mensam, cœnæ caput, & bellaria idẽ esse dicatis: coctúmq; istuc & conditum à Chalcidensi Titi Quintij cõuiuatore. Interea quod apponetur boni cõsulite, & in tenui apparatu vt inopiæ pudorique meo succurratis, seruate placentæ locum. Ecce vobis appono Sallustium. Non audetis attingere? Thyesteum conuiuium non est: conficite, consumite: confectus & consumptus ex se renascetur vt Tityj jecur in fabulis: & postquam famem vestrã expleuerit, nihilominus incolumis manebit. Licet auidissimè, & ad satietatem vsque appetatis, tanquam ex

Platonis vesperna hodie surrexeritis, cras melius prandebitis. Diffusum autem bibemus vinum, non haustum de dolio, nisi optimæ notæ defecerit cadus: & regem qui præscribat modum, incorruptis eligemus doctorum suffragiis, non incerto talorum jactu sortiemur. Flosculos, corollas, vnguenta, puluillos, venustas mulierculas, & eleganti forma ministros, relinquemus delicatis: pro fidibus, tibia, pueris symphoniacis, assentatiunculis parasiticis, & scurrilibus jocis, seria nos oblectabunt acroamata. Sed quoniam nonnulli extiterunt, & vereor ne iterum existant, qui has epulas fastidirent, nauseámque cæteris mouere conarentur, eamus obuiam calumniæ, & obtrectatoribus occurramus, quibus non caruisse Sallustium haudquaquam mirum est; cùm inuidia, sicut ignis, summa petere soleat. Dux & signifer istorum fuit Asinius Gallus Pollionis filius, quem super tanta re disceptatorem non accipio, si quis mihi judicem ferat. Indignus enim cui de capite Sallustij tabella detur, cùm ore tam duro fuerit vt M. Tullij eloquentiam contereret, totas orationes vellicaret, verba singula, vt nec propria nec Latina, insectaretur, edito libro, cui nefarius titulus *Ciceromastix*. Titus etiam Liuius parum æquus Sallustio fuisse perhibetur. Nollem profectò, vel hominis caussâ, diligen-

diligẽtis, accurati, & erudici scriptoris quantũ qui plurimùm. Quocirca nisi alienis manibus non tangam hoc vlcus; & ne quid offendam, egregia cum Sallustij laude, permittam hanc Senecæ arbitrio controuersiam. *Cùm sit præcipua in Thucydide virtus breuitas*, inquit, *hac eum Sallustius vicit, & in suis illum castris cecidit. Nam in sententia Græca, tam breui quàm saluo sensu, detrahas vocem aliquam, constabit sensus, si non æquè comptus, tamen integer: At ex Sallustij sententia nihil demi sine sensus detrimento potest. Titus autem Liuius tam iniquus Sallustio fuit, vt hanc ipsam sententiam, & tãquam translatam; &, dum transferretur, corruptam obijceret Sallustio: nec amore Thucydidis facit vt illum præferat, sed laudat quem non timet, & faciliùs putat à se vinci posse Sallustium, si antè à Thucydide vincatur.* Verùm Liuium bona cum gratia dimittamus: neque admodum irascamur Trogo Pompeio, si de Sallustio secus existimauit: satis pœnarum dedit quòd interiit. Fabij verò Quintiliani censuram tanti faciamus, quanti æstimanda est ludimagistri alicuius cum Orbilij fascibus dictatura. Lenæi quoque grammatici probra in Sallustium vt iratæ aniculæ conuitia, & arrepta de triuio maledicta, contemnamus: exquiramus potiùs omnem obtrectationis caussam & calumniæ. Duo

sunt (opinor) quæ malignè carpuntur in Sallustio: nimis concisa oratio, & nimium antiquitatis studium in verbis. Quibus non probatur Sallustiana breuitas, ij nullam breuitatem non obscuram esse putant; & hæc tam altis radicibus defixa est opinio, vt vix è quorundam animis euelli queat. Ego inutile certamen non suscipiam aduersus pertinaces; si quis tamen se doceri patietur, ostendam esse multa quæ breuiter simul & perspicuè dici scribíque possint. Atque vt Homero testimonium denunciemus, nónne breuis idem & dulcis apud eum Menelaus:

Ἤτοι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε,
Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος.

Huius orationis breuitati si quid obscuritatis inesset, numquam ei comitem addidisset suauitatem. Prodeat item alter Homerus somnio factus, Ennius, qui nescio quem Seruilij familiarem his exornat virtutibus:

Doctu, fidelis, suauis homo, facundu, suóque
Contẽtus, scitu' atque beatu', secunda loquens in
Tempore, commodus, & verborũ vir paucorum,
Multa tenens antiqua, sepulta.

qua velut imagine nostrum expressum agnoscimus Sallustium. Audiamus & Phocionis vocem, cui quondam in concione sedenti v-

nus è popularibus, Videris, inquit, ô Phocion, nescio quid tecum ipse meditari. Tum ille: Non aberras à coniectura: meditor enim & cogito num ex ijs quæ ad populum verba facturus sum, aliquid valeam circumcidere & amputare. Atqui eius breuiloquentiæ tanta vis erat, vt quoties ad dicẽdum Phocion surgeret, ipse rex concionis ac fori Demosthenes fateretur adesse verborum suorum securim: Ideóque Polyeuctus Demosthenem aiebat magnum quidem esse oratorem, sed Phocionem meliùs dicere. Ille videlicet copiosa, vehementi & incitata oratione, ceu gladio dimicabat: hic subtili, presso, & angusto sermone, ceu pugione, rem gerens, propiùs vrgebat, instabat acriùs, fortiùs feriebat, confodiebátque aduersarium. Age verò, quid breuius epistola, non duorum modò verborum, qualis ea fuit, *Lacedæmonij Philippo; Dionysius Corinthi*: sed vnius duntaxat literulæ: si quidem

Vna fuit tantùm qua respondere Lacones
Littera, & irato regi placuere negantes,

& eâ litterâ nihil significantius, nihil apertius. Innumerabilia eiusmodi breuitatis exempla, ex Lycurgi profecta institutis, prodita sunt memoriæ, quibus prætermissis ad Thucydidẽ redeamus, cũ quo Sallustius, vt Æserninus cũ Placidiano à Criticis cõponitur. Sic igitur

de eo M. Tullius in libro secundo *de Oratore*. *Thucydides dicendi artificio facilè omnes vicit; qui ita creber est rerum frequentiâ, vt verborum propè numerum sententiarum numero consequatur. Ita porrò verbis aptus & pressus, vt nescias vtrùm res oratione, an verba sententijs illustrentur.* Et in libro *de claris Oratoribus*, vbi Cæsaris commentarios, vt nudos & rectos vehementer probat, negat esse quicquam in historia, pura & illustri breuitate dulcius. Præterea breuitas inter virtutes narrationis recensetur, cui sit adjuncta perspicuitas. Quid autem aliud est *historia* quàm *perpetua quadam rerum gestarum narratio?* Hìc fortasse nos aliquis auctoritate Aristotelis oppugnabit, qui peruagata ista, de breuitate narrationis, præcepta Rhetorum irridet, οὐδὲ γὰρ ἐνταῦθα ἐστὶ τὸ εὖ ἢ τὸ ταχὺ, ἢ τὸ συντόμως, ἀλλὰ τὸ μετρίως, vt bene narretur, id non vult esse positum in celeritate, aut breuitate, sed in mediocritate certóque orationis modo. Aristotelem Rhetoribus liceat, si libeat, vlcisci; & par pari referre, quòd eum mordeat. Contendent enim, Aristoteli satius fuisse vt breuitatis nomine malè audiret, quàm τῆς εἰκαιοσύνης, & quàm ei exprobraretur futilis & molesta loquacitas; vnde & à Theocrito Chio κενόφρων appellatus sit, in hoc quod Laërtius posteritati tradidit epigrammatio:

Ἑρμείου εὐνούχου, ἠδ' Εὐβούλου ἅμα δούλου,
Σῆμα κενὸν κενόφρων τεῦξεν Ἀριστοτέλης.

Dij tamen melius! quàm vt hoc vitium hærere in Ariſtotele cuiquam credamus; aut in eo, cuius paulò antè mentionem fecimus, Liuio: quamuis Cæſar Caligula, cùm eius ſcripta vellet abolère, vnam hanc cauſſam confingeret, quòd eſſet verboſus in hiſtoria. Nobis ſatis erit id obtinuiſſe, quoddam genus eſſe breuitatis minimè obſcuræ, in qua vnus omnibus præſtiterit Salluſtius; & ob eam rem Valerium Martialem, non tam de ſua quàm de communi eruditorum ſententia, Romanæ hiſtoriæ principem iudicaſſe: Qui ſi horridus incultus, obſcurus fuiſſet, vt iſti ſomniant, Cornelius Tacitus, & ipſe breuitatis mirus artifex, non illum nominaſſet *rerum Romanarum auctorem florentiſsimum.* Sed ego ſum ridiculus qui de breuitate multa diſputo, neque ad alterum Salluſtianum crimen protinus tranſeo, de quo hi olim in vulgus ſparſi ſine auctore verſiculi:

Et verba antiqui multum furate Catonis
Criſpe, Iugurtinæ conditor hiſtoriæ.

Si verum eſt, quod arguitur, factum à Salluſtio improbè. Inſimulatur enim furti, & quidē manifeſti: quo quidē maleficio, vel è duodecim tabulis Catoni tradendus eſt in ſeruitutem; vel,

si benigniùs cum eo agatur, existimationis iacturâ & quadrupli pœnâ subeunda est iudicato. Ridebit ista me hercule Sallustius, vltróque ibit in neruum, vt qui se totum iam addixerit Catoni. Nos properantem laciniâ retinebimus, & furtum esse factum non concedemus, cùm inuito domino res aliena contrectata non sit. An Homerus & Ennius, si reuiuiscant, res suas & verba repetent à Virgilio, & manus iniectione vindicabunt, ac non potiùs gratiam habebunt quòd se potissimùm delegerit quos imitaretur? Quid quod res aliena esse desijt? Nam simul ac editi sunt libri, quicquid inest, publicum est, & vtitur quisque pro suo. Videtis quàm infirmum sit hoc furti crimẽ, & quàm non indigeat diserto patrono. Extarent Catonis Origines, è quibus multa Sallustium excerpsisse ex Suetonii Augusto cognoscimus! libenter cum Sallustio coïrem huius furti societatem. Vtinam ad nos peruenissent Sisennæ historiarũ libri, Pisonis, Quadrigarij & aliorum annales! ego plura inde vel palam sumerem, vel clàm surriperem ac reconderem: non vt priscè loquendo non intelligerer, quod tacendo magis possem assequi, sed vt veterum auctorum reliquias tot locis dissipatas colligerem & intelligerem faciliùs. Equidem, quandò huc semel orationis impetu

prouectus sum, de me non dubitabo confiteri quod multò præstantiores viri semper præ se tulerunt, antiquitatis, & amissorum temporis iniuria Codicum incredibili desiderio teneri: & si quid huius generis ætatē ferre potuit, amare, amplecti, exosculari. An errem nescio, mihi certè meus iucundus est error: sinite sic insaniam: cui suus placet morbus, ei odiosus est qui parat facere medicinam. Habet quiddam ἑλκυστικὸν antiquitatis effigies: tacitè nos ad se allicit, trahit, rapit: & humanissimum quémque cogit illa venerari, vt aliqua religione consecrata, in quibus impressa cernit eius vestigia. Scrutantur alij nummos adesis iam & fugientibus notis: plerique lamellas, sigilla, truncas statuas, & frusta marmoris è ruderibus cadaueribúsque oppidorum effodiunt: Multi deorum manium sanctitatem violãt, neque parcunt sepulcris, dum eruant quod in bibliotheca repositum colant, & pro fumosis maiorum imaginibus ostentent: pars maxima erosas à tineis & blattis membranas conquirunt; cariosásque membranas noctes & dies euoluunt, si qua fortè superioris æui monumenta literis consignata illic reperiant. Quòd si verbum vnum aut alterum nostro sæculo inauditum ex iis tenebris in lucem protulerint, vt re bene gesta, non expectato senatusconsulto, triũphant.

Nolite enim arbitrari omnem vim antiquitatis & splendorem in rebus esse, nullum in verbis. Longè aliter æquales Sallustij (& quanti viri!) existimabant: M. Cato priscorum verborum vt priscæ sanctimoniæ obseruantissimus; M. Brutus, libertatis vindex fortior quàm felicior: M. Antonius qui postea triũvir reip. constituendæ: Annius Cimber, cui facetè ancipiti dicto Cicero parricidium obiecit, *Germanum Cimber occidit*: Verrius Flaccus, ex cuius messe spiicâs legit Festus Pompeius: Diuinarum denique & humanarum rerum scientissimus M. Varro, vt indicãt paucæ, quæ ex luctuosissimo eius voluminum naufragio ad nos enatarũt tabellæ. Mitto Ælii Galli, & Sinni Capitonis, clarissimorum juris antistitũ curam & operam priscorum verborum explicatione collocatam: tantùm dicã quod est in prouerbio *Cascus cascam ducit*: Nuntia vetustatis historia verbis gaudet vetustis; & antiqui mores antiquo sermone delectantur. Quid igitur? ego ille antiquitatis admirator si mihi ducenda esset vxor, an Hecubam ducere mallem quàm Polyxenam? Dissimillima est ratio corporis & ingenij: forma corporis caduca & fluxa est, paucorúmq; annorũ spatio deflorescit: quod ingenio perfectũ suã habet Venerem, vetustate non senescit, ex tẽporis longinquitate plus ei

conciliatur gratiæ, quemadmodum piſcibus ex ætate plus commendationis accedit. Quo tandem progrediar? nónne populi Romani ceremonias, rogationes, formuláſque omnes priſcis verbis placuit eſſe conceptas, quòd verba rebus plus adferunt amplitudinis & maieſtatis? Hactenus quid in Salluſtij reprehendatur ſcriptis oſtendimus & refellimus, ſatiſque officio fecimus: tam curioſi autem & maleuoli non ſumus vt in eius vitam inquiramus. Viderint iſtud magiſtri morum: nos id tantùm ſtudemus, eruditionis & doctrinæ illius famam ſartam tectámque eſſe ab omni calumnia aut inuidorum aut imperitorum. Vos ex hoc vno Catilinario bello facilè perſpicietis quàm religiosè hiſtoriæ legibus paruerit; vt nihil illic ſcribatur falſi, nihil non ſcribatur veri, ſuſpicio gratiæ nulla ſit, nulla ſimultatis: vt progrediatur ordine temporum: vt ſub oculos ſubijciat regionum ſitus: vt conſilia præcedant, facta comitentur, ſequantur euentus: vt interpoſitis grauiſſimarum ſententiarum aculeis pungat improbos, excitet inertes, nauos & induſtrios ad decus & gloriam cohortetur. Cæteras hiſtoriæ laudes oratione complecti longum eſſet, & huic loco non valde conſentaneum. Sinamus in iſto ſe campo pueri exerceant, ne abutamur veſtrâ operâ diu-

tius, quàm bonam & benignam præbuistis. Purgandum nunc est hoc forum, quasi præco supremam pronuntiarit. Quare, si vobis videtur, discedite, Auditores; nihil vos amplius moror: iam enim ventum est ad pontificium illud de quo suprà vos admonueram, *I, licet.*

IOAN. PASSERATII IN LIBROS Historiarum Sallustij Oratio.



ATIVS fortasse nunc fuerat, Auditores, si longiore mora culpam contraxi, eam astutè dissimulare, ac præterire silentio, quàm leuiter obiiciendo, vel refellendo, me mihi apposuisse calumniatorem, aut præuaricatorem videri: neque tam æquitate caussæ, legitimáque cera, quàm discoloribus tabellis, & sutorio, vt aiunt, atramento, esse absolutum. Ne tamen ista confessionem dicatur imitari taciturnitas, cur aliquantò seriùs quàm cæteri prodierim, & quid in hunc annum cœperim consilij, dum breuiter expono, velim benignè, id est vestro more, audiatis. Mihi quidem cùm hyberno tempore parum firma valetudo esse soleat, quamuis non decu-

buerim, (neque tanti mihi sit huius muneris vacatio vt decumbam,) morbi excusatione, & verbis, quibus Mecœnatem affatur Horatius, apud vos vti licet:

Si me viuere vis sanum, rectéque valentem,
Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
Auditor, veniam.

Tueri me possum etiam oratione Terentiani Getæ:

Gallina cecinit: interdixit hariolus:
Aruspex vetuit ante brumam aliquid noui
Negotij incipere: quæ caussa est justissima.

Ac quoniam aruspicis incidit mentio, monuit me Spurina ille, qui artis suæ veritatem Idibus Martiis comprobauit, ante flatum Fauonij nefas esse ad consuetudinem reuerti: vt iam temerarius haberi debeam, qui Zephyri aduentum non expectauerim. Denique periniquum est, quòd paululum ab his signis abfuimus, nos vt emansores increpari, aut coërceri vt desertores: iuberique frequentes huc procedere, quibus non procedunt stipendia. Abeunt, inquam, magna ex parte, nostra præmia, & incertũ quando reditura sint. Quò abeant quæritis? quò nequam homines; ad bellum: & ad teterrimam ciuilis tumultus hydram, cuius tot capitibus contundendis & exurendis vix decẽ Hercules suffecerint. Nos interea capite

minuti, ridiculo genere adoptionis, in aliam transimus familiam, & pro Volesis, aut Metellis nepotibus, Pisones frugi: Imò verò metuo ne pro Licinijs Crassis, Licinij Macri posthac nominemur. Digna scilicet merces labore nostro nobis redditur, si, vt publicè docere compellimur, ita & priuatim cogimur esurire. Verùm his querelis statuet modum notissima Tragœdiæ clausula:

Πολλαὶ μορφαὶ
Τῶν δαιμονίων,
Πολλὰ δ' ἀέλπτως
Κραίνουσι θεοί·
Καὶ τὰ δοκηθέντ'
Οὐκ ἐτελέσθη;
Τῶν δ' ἀδοκήτων
Πόρον εὗρε θεός·

quod breuiùs & concinniùs noster Maro:

Fata viam inuenient, aderítq; vocatus Apollo.

Cessationis ergo crimen, si crimen illud est, accuratiùs diluere non placet, ne suspicionem culpæ augeat nimis elaborata defensio: respondebo iis potiùs qui me leuitatis & inconstantiæ arguere volent, quòd Propertij susceptam interpretationem vel deposuisse videar, vel abiecisse, cùm me ad Sallustium contulerim. Imperiti gladiatoris hæc est, & in me fru-

ſtra conjecta petitio, quam ita facilè vitabo, vt Priami telum Pyrrhus,

---- rauco quod protinus ære repulſum
E ſummo clypei nequicquam vmbone pependit.

Non enim mutata mea ratio, nec me ſuperioris conſilij pœnitet: ſed commodiùs viſum eſt in Veneris menſem, Aprilem dico, Veneres & Amores Propertij differre. In Salluſtianis autem ſcriptis, vt in amœno & opportuno diuerſorio, tantiſper commorari, dum ſe hyemis ſæuitia frangit, & veris internunciæ reuolant ad nos hirundines. Multa verò me impulerunt vt has quatuor oratiunculas, epiſtolas duas, quæ ſolæ ex libris hiſtoriarum ſuperſunt, explicandas ſumerem: horum & illorum temporum & illorum temporum ſimilitudo: crebritas & acumen ſententiarum: delectus & nitor verborum: incredibilis, eadémque perſpicua breuitas: ac in primis antiquitatis admiratio, cum eorum quæ amiſſa ſunt deſiderio coniuncta: Quemadmodum enim ex nobilium quondam oppidorum ruinis, projectíſque cadaueribus, priſtinam eorum magnitudinem animo concipimus: ſic ex huius præclari operis, tanquam ingentis ædificij collapſi parietinis ac ruderibus, quale, & quantum olim fuerit æſtimamus. Cætera ſparſa, minuta, lacera, quæ docti diligentéſque viri vndique collegerunt,

nullum tanti corporis membrum efficiunt, ad quod abſciſſum ſeruatúmque, priſco ritu funerum, mortuo juſta faciamus, & æternæ Salluſtij memoriæ parentemus. Quid quòd nec hæ concionum & epiſtolarum reliquiæ, ad nos integræ peruenire potuerunt; ſed partim vetuſtatis iniuriâ deformatæ, partim librariorum inſcitiâ & incuriâ corruptæ, malam inſuper eorum manum expertæ ſunt, qui, vt harpyiæ in Phinei menſis,

Omnia contingunt, contactúque omnia fœdant
Immundo.

Eiuſmodi hominum audaciæ qui reſiſtunt; & librorum integritati, & commodis juuentutis conſulunt: quibus quia faueo impenſiùs, quid ea de re cenſeam paucis oſtendam. Iouis & Memoriæ filias pingi fingíque virgines, nemo neſcit: cur ita pingantur, fingantúrque, ſi quis ignorat, meminerit, hac nos imagine admoneri, cùm in vniuerſa vita, tum maximè in literis, vt virginali præditi ſimus modeſtiâ. Itaque verecundè ſe gerant oportet, qui in ſtudiis humanitatis cum laude verſari cupiunt; caueántque, ij præſertim qui de obſcuris deprauatíſque locis judicandi partes depoſcunt, ne à quoquam acerbè diſſentiant: néve ſibi, aut aliis nimiùm credant; & ante omnia, ne quid temerè affirment; quia falſa veris, vt

vitia virtutibus, finitima sunt, paucíque tenent eam notam qua verum à falso discernitur, tutissimam in scriptorum mæandris, atque labyrinthis insistunt viam; qui, vbi occurrit species mendi, veteres libros, si copia est, adeunt: vt in rebus dubiis, magna cum religione, libros sibyllinos adibant Quindecimuiri. Si nihil opis afferunt codices; alterâ progrediendum est opinionis, & coniecturæ viâ; quæ valdè præceps est, & lubrica; in variósque ducit errores: nisi suspenso gradu incedamus; &, vt fit in tenebris, manu iter prætentemus. Lapsos enim quamplurimos, & quotidie per eam viam labi, certissimo indicio sint, *Variarum Lectionum*, *Verisimilium*, *Coniectaneorum*, *Emendationum*, *Obseruationum*, & id genus innumerabilia volumina: in quibus eadem de re mille discrepantes reperiuntur sententiæ, cùm plus vna vera esse nequeat. Fateor sanè plerósque eximiâ doctrinâ viros, quòd in eluendis librorum maculis studium & operam suam libenter collocarint, bonam solidámque à præstantissimis auctoribus iniisse gratiam: negari tamen non potest, quin hîc à multis multa peccentur, vt sunt ex Biantis oraculo οἱ πλεῖστοι κακοί· quæ cuiusmodi sint si demonstrauero, faciam vt quid vobis idem experientibus fugiendum, & quid sequendum sit intelliga-

tis. Principiò, nec ferendam putaui vnquam certorum hominum in iis,quæ non probant, mutandis confidentiam;& mihi sæpe risum,ac interdum bilem, mouit ista verborum insolentia: *Ita hunc locum, solâ ductus coniecturâ, verissime restitui*: *Nos primi ex ingenio felicißimè sic emendauimus*: *Dubium non est quin ita scripserit, & ita repone meo periculo*: *Sic omnino legendum est, vel libris omnibus inuitis &c.* Aufer has, vt Comicus appellat, basilicas, & imperiosas editiones: indignæ sunt liberalibus disciplinis, in quibus nemo vnus regnum possidet. At enim, dicat aliquis, cùm hæc tota res arbitraria sit, vnicuíque liberum est quid sentiat eloqui;& quę videantur praua, corrigere. Ego contrà referam: quibusdam ea videri praua,quæ sunt rectissima; vt arquatis, & veternosis, quæ lutea non sunt lutea videntur: & vt stultis persuasum est nullum eorum qui sapiunt non insanire. Atque vtinam id & à paucis, & modicè tentaretur, Musarum vicem minùs doleremus; quarum ad hortulos depascendos nouum subinde correctorum, vt crabrônum, examen aduolat; nec quisquam abigit, aut indignissimum facinus vindicat. Qui Prætoris album corrupit, ingentis pecuniæ damno multatur: qui testamentum subjecit, partum supposuit, alienũ chirographum miita-

imitatus est, tenetur lege Cornelia: qui monetam adulterauit, capite plectitur: ij soli qui libros adulterant, & sacro-sancta violant antiquitatis monumenta, impunè cum spongia grassantur: delent, inducunt, circunscribunt, toties stylum vertunt, vt plures in vtráque pagina lituræ quàm literæ appareant: nec priùs appingere & affingere de suo quicquid libet desinũt, quàm totos ferè libros alios fecerint. Nisi fortè cauillabuntur, aliam rem non fieri partibus commutatis, vt de Thesei naue disputatum est in scholis philosophorum: & à iurisconsultis responsum, eandem nauim existimari, cuius alia facta sit carina, prora, puppis, latera, malus, velum, antemnæ, & gubernacula. Aduersus hos librorum mangones, si repentè nunc existat aliquis è numero eorum, quorum scripta manibus nostris teruntur: puta, Sallustius ipse; profectò se in suis libris quæret, & ignotorum hominum dissolutam benignitatem mirabitur, qui sibi nec roganti, & opulentissimo, tantùm de suis copiolis largiantur: Idem ad extremum, misso ioco, his interpolatoribus seriò irascetur; & aut Morboniam dimittet, aut Anticyram censebit esse deducendam fanaticam correctorum coloniam. *Capras sanas*, inquit Varro, *nemo sanus in lege venditionis promittit, quòd nunquam sint sine febri: ideò-*

que dentem earum, & saliuam, arboribus esse venenum tradunt: ac inde nomen inuenisse, quòd carpant omnia. Qua ratione moti Astrologi, ita eas receperunt in cælum, vt excluderent extra limbum duodecim signorum: veriti, opinor, ne aliquod signum arroderent. Sic hæ bipedes capræ, siue potiùs hirci, perpetua febri laborant carpendi omnia; cùm interea se meros Chironas, & Podalirios esse credant, neque minùs gloriosè de se loquantur, quàm ille in Plauti Menæchmis Medicus, qui se ait *obligasse crus fractum Æsculapio, & Apollini brachium:* Non inficior multis librorum vulneribus, & vlceribus faciendam esse medicinam: sed parum est, quòd horum manibus tractata recrudescunt vulnera, nisi sanæ parti scalpellum adhibeant. Medicum libri desiderant leui mollique brachio, & Critobuli similem; qui sibi gloriam peperit immortalem, extractâ Philippi regis Macedonũ oculo sagittâ: & curata, citra deformitatẽ oris, luminis orbitate. Effrænatam correctorum licentiam non insectabor diutiùs; quamuis satis vituperari non possit, vt neque satis laudari eruditorum, ac bonorũ virorum verecunda in eo genere industria: quos ego libenter, & honoris caussa nominarem, nisi metuerem, ni quis eorum, quos nollem mihi succensere, vel à me non suo loco nominatum,

vel præteritum esse, quereretur. Reliquum est, vt fontem, vnde ista manant vobis ostendam, ne quid ex eo fonte, vel eius riuulis, ad restinguendam inanis gloriolæ sitim, imprudentes hauriatis. Caput igitur erroris hoc est, quòd vt molestum esse solet quicquid moram obijcit festinanti, ita quicquid nos ad optatissimum cognitionis & scientiæ finem properantes remoratur, vt odiosum tollere statim & amouere studemus, ne quid posthac nobis aut alijs exhibeat negotij. Enim verò delicias facimus, si quacúmque ingredimur, cylindro æquari nobis solum, velut areæ ad trituram, volumus: & sybariticum Caligulæ renouamus exemplum, si longè profecturi, cùm salebrosum, aut pulberulentum iter erit, velli nobis omnes scrupos; & verri conspergique vias iubemus. Mitto; quòd non rarò ignorationis nostrę caussam libris adscribimus; & dum nos pudet nescire quæ nescimus, impudenter ea loco mouemus, quæ melius fuit non attigisse. Quippe vt sine populi Romani iussu, comitijsque Centuriatis, pelli quisquam ciuitate, aut in eam restitui iure non poterat; sic in libris, tolli, aut reponi oportet nihil, sine veterum librorum consensu, & maximo doctissimorum hominum quasi comitiatu. Dicam, quod & magis miremini: ne veteribus quidem libris auctoribus, id sem-

per esse faciendum: propterea quòd, vt M. ipse Tullius vociferatur, & priscæ membranæ clamant, constat ab iis ipsis qui hæc æterna ingenii sui monumenta nobis prodiderunt, multa sæpe mutata, alitérque scripta, & edita in vulgus fuisse. At veterum librorum vsus, maiestásque omnis ita iacebit: mentísque nostræ aciem sinemus hebescere, si nullus erit coniecturæ locus? Eius rei componendæ perfacilè ratio inibitur, si, editionibus intactis, quæ pridem vulgatæ sunt, separatim antiquæ lectiones, & seorsim coniecturæ excudantur; quibus tantum tribuo, quantum diuinationi hoc versiculo Ennius:

Bene qui conijciet, vatem hunc perhibeto optimũ;

Γνώμη δ' ἀρίστη, μάντις, ἥ τ' εὐβουλία:

vt ait *in Helena* Euripides. Plura fortasse de correctoribus quàm par fuit; præsertim cum in eos nuper luserit acutissimo vir ingenio, & singulari doctrina, in eo libello quem *Somnium*, siue *Saturam* inscripsit. Nos tamen eius scrinia non compilauimus; Sed neque vobis, vt coniectoribus narrare somnium voluimus, & saturam ieiuni saturis reliquimus.

IOAN. PASSERATII PRÆFAtio in Catonis & Valerij Orationes de lege Oppia.



TERTIVS hic est mensis ex quo celeberrimæ de lege Oppia controuersiæ interpretatio à me vobis debetur, Auditores: neque tamen vllam huius nominis non expediti culpam sustinet, aut meæ pollicitationis obliuio, aut moræ improbitas, aut fraudationis caussa infamis latitatio. Istuc enim pensum iampridem confecissem, & suo tempore putatam rectè lanam reddidissem, nisi transuersa incurrisset dira vis morbi, quæ per vrbem Academiámque nostram diu grassata, necessitatem nobis attulit expectandi dum vel sub exitum Autumni consenesceret, vel hyemis aduentu omnino extingueretur. Nunc verò postquam teterrima lues, velut solemni ritu, & carmine procurata, procul hinc cum strigibus abierit ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας, alacriùs ad intermissa referamus nos studia, & aggrediamur ad legem Oppiam, de qua vel stabilienda, vel conuellenda, memorabilis exorta est inter M. Porcium Catonem

Consulem, & L. Valerium Tribunum plebis, contentio. Immensus hic aperitur campus, vbi liberiùs vagari, & exultare quæuis possit oratio: sed mihi angustius curriculum ipse circunscribam, decursóque spatio, quod vnicuique nostrûm scholæ consuetudine definitum est, consistam. Proficiscar autem ex iisdem carceribus ex quibus emissus Cato in mores mulierum inuehitur, suísque ciuibus ope summa nititur persuadere, vt indomito animali frenos iniicere velint, & impotentem naturam firmissimis legum vinculis coërcere, ac constringere. Atque, vt exordiar ab immodico sumptu, luxúque muliebri; quando ἡ γυνὴ τὸ σύνολόν ἐστι δαπανηρὸν, quemadmodum ait Menander; qualis & quantus est mundus ille immundus, cuius vsus tantùm consistit in molliendis, poliendis, fingendis, pingendis, cōmendísque mulierculis: vt sunt vnguenta, cerussa, rubrica, purpurissum, specula, volsellæ, pectines, spongiæ, aciculæ, & calamistra. Adde ornamenta, in quibus recensendis, & explicandis, si laborant Iurisconsulti, quid infelices mariti faciunt in cōparandis? Cuiusmodi sunt, inaures, crotalia, armillæ, vitiolæ, aurū, anuli, margaritæ gemmæ, petiti ab Indico rubróque mari lapides: vittæ. mitræ, fasciæ, tæniæ, fibulæ, calanticæ, crocuphantia, reticula, & anadema-

ta. Accedat iis vestis coloria, versicoloria, plumatilis, cumatilis, impluuiata, ferruginea, cerina, ostrina, molochina, crocotula, caltula, violacea, lutea. Quo in numero sunt pallæ, pallia, togæ, tunicæ regillæ, stolæ, ricinia, capitia, zonæ, socculi, plagulæ, penulæ, & strophiola: Ancillarum, Eunuchorúmque comitētur greges, vehant equi, muli, carrucæ, lecticæ, sellæ, pilenta inaurata, & eburata carpēta. Hæc tam multa, tam varia, tot empta damnis, laboribus, & periculis, cui tandem rei? vt viri secum habeant, quod facetissimus & acutissimus ait Epicharmus, ἀλυχίαν κοσμȣμένην. Quid enim aliud est forma cultúque insignis mulier, quàm pulchrè exornata & expolita miseria? Proinde non immeritò exclamat Antiphanes,

Ὤς ἐστι τὸ γαμεῖν ἔσχατον τȣ̃ δυστυχεῖν.

Malorum extremum est uxorem ducere.

Quamuis autem theatra eiusmodi sententiis personent, paucas tamē proferam, suo quãque loco, & è leuioribus poëmatis, ne ridiculum sit in nugis muliebribus agere tragœdias. Sequitur luxum ignauia, vetere notata palliatorum verbo, γυναικὸς πυγή: & excipit ignauiam libido, siue, vt mollius dicam, nequitia. Nam vt in aluearibus inutiles fuci, sic in ædibus desides feminæ, quicquid virorum operâ quæsitum, & coactum est, sciunt absumere:

quærere, & cogere, nesciunt; ideóque Gallinacei pedes iis esse perhibentur in Sirenum mythologia, quòd, vt gallinæ, pasci nequeant, etiam pleno in aceruo, quin dispergant & disperdant omnia. Quod genus mulierum Simonides ex asina scribit esse procreatum, quia nihil iis segnius est, ac tardius, ad rectè agendum; nec officium suum possunt, nisi malo, commoneri. Interim vestiũtur, pectuntur, lauantur, extergentur, alienis manibus, alienis pedibus ambulant; ac si quando pepererunt, quod inuitis accidit, à se continuò partus suos amandant, & ablegant. Melitæos videlicet catellos, vel simiolas, educare & gestare malunt, quàm liberos. Venio ad earum impudicam impudentiam, οὐ γάρ ἐστι, inquit Alexis, ἀναισχυντότερον οὐδὲν θηρίον γυναικός. Nulla muliere impudentior est bellua, aut quæ acrioribus stimulis libidinis concitetur. Helenas, & Clytemnæstras non commemoro: Ipsa Penelope, cuius adeò nobilitata est Homerico carmine pudicitia, nónne ex Mercurio tertio; vel, vt alij tradũt ex omniũ procorum congressu, Pana genuit? Sed quid ego muliebrem in terris quæro pudicitiam, cùm nec in cælo vsquam reperiatur? Casta & integra Minerua est, opinor. Quæne ex Vulcano genuit Erichthonium, & eum Apollinẽ in cuius tutela fuis-

ſe Athenas quondam crediderunt? Virgo Diana; quæ cum Virbio in ſyluis ſolet,

Nudus & Endymion Phœbi cœpiſſe ſororem
Dicitur, & nudæ concubuiſſe deæ.
Mercurióque ſacris fertur Bœbeïdos *vndis*
Virgineum Brimo compoſuiſſe latus.

Quid quòd ad Muſas ea ſtupri contagio peruenit & infamia?

Hic quoque non neſcit quid ſit amare chorus.
Si tamen Oeagrij quadam compreſſa figura
Biſtonijs olim rupibus accubuit.

Vt taceam ex Strymone & Euterpe natum Rheſum. Non eſt igitur mirum tantam à viris adhiberi in cuſtodiendis mulieribus diligentiam, quas ſi Argus ſeruet, qui oculeus totus fuit, is nunquam ſeruet, vt noſter loquitur Comicus. Naturâ enim eſt φιλέξοδος mulier, nec contineri limine poteſt: multóque minore negotio murus ab hoſtibus, aut à furibus pecunia defenditur, quàm arcetur à libidine mulier, vt idem ait, quem paullò ante nominaui, Alexis: οὐκ ἔστιν, οὔτε τεῖχος, οὔτε χρήματα; οὔτ' ἄλλο δυσφύλακτον οὐδὲν, ὡς γυνή. Par etiam imbecillitati membrorum, mentis contigit imbecillitas; nec incommodè in mulierem dixeris, quod in perſonam hiſtrionis Æſopi vulpecula: ταυτὴ κεφαλὴ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει. Qua de cauſſa priſci togati eos in perpetua tutorum pote-

ſtate eſſe voluerunt; propter infirmitatem conſilij; foro, concione, omni reip. adminiſtratione ſubmouerunt; necnon abſtemias eſſe iuſſerunt, capitali propoſita iis pœna quæ vinum bibiſſent, ne commune mentis vitium propria ebrietatis augeretur inſania. Celebrata quoque eſt mulierum leuitas ore vulgi, γυναικὸς φρένες· ſiquidem nolunt, vbi velis; vbi nolis, cupiunt vltrò: illúdque Maronis, vt è tripode profectum accipimus, *varium & mutabile ſemper Femina.* Neque tamen ſi prudentia conſtantiáque vacant, ideo non calliditate pollent è malitia: Δειναὶ γὰρ αἱ γυναῖκες εὑρίσκειν τέχνας, inquit Menander: nec à Menandro Romanus abludit Callimachus:

Sed vobis facile eſt verba & componere fraudes.
Hoc vnum didicit femina ſemper opus.

Ac quoniam ſunt non ſubleſta modò, ſed & ſceleſta fide, vt ab iis caueamus, ab eodem poëta ſæpiculè admonemur:

Μήποτε λάβῃς γυναῖκα εἰς συμβουλίαν,
Ὡς ἐστὶ ἄπιστον ἡ γυναικεία φύσις;
Γυναικὶ μὴ πίστευε σὸν σαυτοῦ βίον.
Γυναικὶ μὴ πίστευε, μηδ' ἂν ἀποθανῇ.

Mulierem ne tibi in conſilium adhibeas. Quàm res infida eſt ſexus muliebris? Tuam ipſius vitam mulieri ne committas. Nihil mulieri credas, ne mortuæ quidem. Eodem pertinet lepi-

dissimum epigrammatum quod Arbitri Petronij nomine circunfertur:

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis:
Námque est feminea tutior vnda fide.
Femina nulla bona est; & si bona contigit vna,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

Hinc fit vt muliebris fides, ingenium, jusiurandum, prouerbiis agitentur. Futiles enim sunt, & plenæ rimarũ mulieres; qualibet perfluunt; ac si quid earum vni semel narraueris, hoc erit, quod ait Antiphanes, πᾶσι τοῖς κήρυξιν ἐν ἀγορᾷ φράσαι, omnibus id tradere præconibus medio in foro prædicandum. Hæc est muliebris supellex, clarus clamor sine modo; & Eunomia Plautina ita de loquacitate nimia mulierum fatetur, vt neget mutam repertam esse vllam vllo in seculo. Quamobrem argutissimè Xenarchus, qui longè fortunatiores censet esse hominibus cicadas: quòd in eo genere mares soli vocales sint, & mutæ prorsus feminæ:

Εἶτ' εἰσὶν οἱ τέττιγες οὐκ εὐδαίμονες;
Ὧν ταῖς γυναιξὶν οὐδ' ὁτιοῦν φωνῆς ἔνι.

ferendum hoc esset fortasse aliquo pacto, nisi loquaci perfidiæ adjuncta esset crudelitas: vt in Propertiano miscentur versiculo:

Ah crudele genus, nec fidum femina nomen.

Confirmant id peruagati senarioli:

Θηρίων πάντων ἀγριωτέρα γυνή.

Item: Ἴσον λεαίνης τῆς γυναικὸς ὠμότης.

feratum omniũ ſæniſſima eſt mulier:& Leænæ mulieríſque par crudelitas: ſatis Lemniarum mulierum ſcelere teſtata. Quin & ab eadem ratione vocatur mulier ἰὸς ἀσπίδος, quòd ea nihil ſit peſtilentius. Hinc ſimultates, odia, bella, pugnæ, cædes, agrorum vaſtitates, euerſiones vrbium, populorum interneciones, Ilias denique malorum, & γυναικῶν ὄλεθροι. Quocirca ſi quid vſpiam eſt formidoloſum, vt Empuſæ, Lamiæ, ſtriges, Gorgones, Greæ, Harpiæ, Diræ, Furiæ, Febres, Mors, Peſtis, habitu ſpeciéque muliebri figuratur: vnóque mulieris nomine, quęcunque acerba homini eueniunt, continentur, ſicut ipſæ ſuo judicio teſtimonióque ſatis comprobant. Nullo enim grauiore conuitio mulierum, verberantur aures, nec vmquam in jurgio contumelioſiùs dimittuntur à viris, quàm cùm iſtuc audiunt, *Abi, mulier es.* Statuite ergo tandem, vtrum ſatius ſit cælibi vxorium pendere, an nuptiis venatorem fieri. Nam ita maritus à venuſto poëta nominatur, qui cum rabioſa femina, tanquam cum cane ætatem exigit, & ad extremum ſic habetote: ſæpius renaſci Phœnicem quàm mulierem bonam exiſtere. Quæ à viris in mulieres jaciantur, multis tamen conſultò prætermiſſis, hactenus expoſui: nunc ea quo pacto refellantur, paucis accipite. Longa & inuidioſa in reprehenſione ſumptus luxúſque muliebris con-

ſumpta eſt oratio, cui facillimum ita reſpondere, Munditiem & ornatum ſemper matronos decuiſſe, viríſque earum placere. Si cui diſpliceant alieno, hunc ſordido, horrido, & inculto ingenio eſſe oportere. Sumptum qui in iis fiat, nec inhoneſtum eſſe, & ciuibus ſuis ſaluti interdum fuiſſe: vt cùm matronæ aurum omne ſuum duris patriæ temporibus in publicum certatim contulerunt. Quod illis redditum eſt à Senatu, auctúmque multo verborum & rerum honore. Viros contrà, priuatæ luxuriæ cauſſa, ſæpenumero publicum rapuiſſe, ſocios expilaſſe, vexaſſe prouincias, fana ſpoliaſſe; vt ſubuerſis montibus, conſtratóque mari, domos & villas in vrbium modum exædificarent. In piſcinas, balneas, intempeſtiua conuiuia, aulæa Babylonica, conchyliata periſtromata, ſigna, tabulas, toreumata, Deliaca, & Corinthiaca vaſa malè parta, malè profudiſſe: quorum nihil omnino in ſobriam mulierum elegantiam cadit. De ignauia non diſſimilis eſt calumnia. Quod enim domi ſedent, nec vllam reip. partem attingunt, ea virorum eſt injuria, qui jubent; non mulierum culpa, quæ injuſto parent legum à viris latarum imperio, ſi leges eæ ſunt quæ per vim latæ, potentiorum commodis tantùm ſeruiunt. Falſum & de libidine quod arguitur. Vtrius enim libido ma-

ior? eius qui rogat, an quæ rogatur? eius qui cogit, an quæ cogitur? Helenæ multæ sunt & Clytemnestræ: paucioresve sunt Parides & Ægisthi? Impudentes mulieres: non impudentior est & scelestior qui deas audet insimulare impudicitiæ? Verum *deorum injuria dijs curæ*, vt Cæsar aiebat Tiberius. Imbecillæ mulieribus vires: Ingens crimen, quo crimine, constituto inter brutas animantes judicio, lupi damnabunt oues, & Aquilæ columbas, ne videantur innocentes discerpere. At est mulieribus omnibus infirmitas consilij. Si bonam mentem dij mulieribus ademerunt, vt viris tribuerent, eorúmque esset peculiaris prudentia: scire velim cur scriptum sit in duodecim, si furiosus existet: cur à prætore tot curatores dentur, cur tot Corœbi & Tuditani ad agnatos gentiléśque deducantur. Sola videlicet Agaue bacchatur in scena: Nullus illic furit Pentheus: non Alcmæon & Orestes insaniunt: nec inter ceritos elleborosos, & lymphaticos palmam possidet Hercules. Leues & infidæ mulieres. Vnde ergo iustissimæ mulierum de viris querelæ?

Nusquam tuta fides!
Heu, vbi pacta fides? vbi quæ iurare solebas?
Tum iam nulla viro iuranti femina credat.
Femina nulla viri speret sermones fideles.

Qui dum aliquid cupiens animus pragestit apisci,
Nil metuũt jurare, nihil promittere parcunt.
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.

Postremum hoc suum viri agnoscant ex Lacedæmonij Lysandri præcepto: Pueros fallendos esse talis, viros jurejurando. Prætermisi quæ de calliditate & fraudibus balbutiunt; quia si concedam esse vera, suam inficiari non poterant stultitiam & vecordiam, quibus tam facile os sublinant mulierculæ. At nimium tinniunt mulieres, earúmque odiosa loquacitas. Cõferte (quæso) blandos & argutos mulierum sermones cum philosophorum disputationibus, clamoribus sophistarum, causidicorum altercationibus, rabularum conuitiis, strepitúq; concionum, mulierum loquacissimæ videbuntur lusciniolæ, viri plusquam hirundines. Reliqua est crudelitas, quæ quia in tam blando mollique ingenio, ac miti, est incredibilis, confugiunt ad poëtarum testimonia, fabulas aniles, & mera portenta pictorum. Quid est in re atrocissima nugari, si hoc non est? Monstra quædam esse narrantur muliebri specie. Quid artes? quid artium præsides musæ? quid virtutes ad beatè viuendum certissimæ duces? quid ipsa rerum omnium parens natura?

Nonne muliebri specie finguntur? Pudet me harum ineptiarum. Redeo ad seria, crudelitas est vbi furta, rapinæ, latrocinia, cædes, incendia, parricidia, sacrilegia, quæ omnia esse constat virilia non muliebria facinora. Et qualibet Busirides, Phalarides, Mezentij, Caligulæ, ac Nerones. Age, si tam horribilis res est mulier, cur legis Oppiæ acerrimus propugnator M. Cato, in gremium & amplexum vxoris currebat potissimum cùm intonuisset? si mulierum tam importuni & intolerandi mores, cur alteram vxorem duxit extrema jam ætate? Cur virum qui manus mulieri suæ adferet, proximum sacrilegio admittere scelus adfirmabat? Vrgemur poëtarum auctoritatibus: & iisdem subleuamur.


Ζήτει γυναῖκα σύμμαχον τῶν πραγμάτων·
Βίον καλὸν ζήσεις, ἐὰν γυναῖκ' ἔχῃς.
Καλὸν φυτὸν πέφυκεν ἐν βίῳ γυνή.
Γυνὴ δικαία τοῦ βίου σωτηρία.

Mulierem quærito rebus tuis sociam & adjutricem, honestam vitam ages, si vxorem habueris: egregia stirps est quædam in vita hominum mulier, inquit Menander. Et Antiphanes τί γὰρ ἥδιον γυναικός; τί δὲ γλυκύτερον; quid muliere jucundius & suauius? Obruerer, si pergere porrò liberet, exemplorum rationúmque multitudine: sed modus

esto

esto huic præfatiunculæ, in qua explicauimus potiùs legis Oppiæ argumentum quàm sententiam nostram interposuimus. Non enim in tanta controuersia Catonis aut Valerij partes sequimur, ne, si Catoni contra Valerium adsimus, parum habeamur fortes, qui cum mulierculis bellum geramus: sin à Valerio consistamus aduersus Catonem, parum sani existimemur qui in eiusmodi caussa oppugnare Catonis virtutem sapientiámque audeamus.

IOAN. PASSERATII PRÆfatiuncula in Ouidii consolationem ad Liuiam.



OST optimorum auctorum interpretationem, Plauti, Ciceronis, Sallustij, Liuij, Catulli, Virgilij, & Propertij, quos in manus sumpsimus, ab eo tempore quo Rex inuictissimus, æternâque memoriâ dignissimus, Carolus eius Nominis nonus, huic nos muneri præfecit, nunquam putauimus fore vt Ouidianum aliquod opus attingeremus. Inueterauit enim opinio, vulgíque fama percrebuit, eum poëtam esse non multæ doctrinæ, humilísque & nimiùm luxuriantis styli; atque etiam, si diis placet, Latinæ linguæ elegantiam

O

nitorémque in eo requiri: adeò vt Italus quidã vel hac re imprimis nobilis, cùm humanioribus literis vnicũ gnatum imbueret, illa miro artificio contexta mutatæ ter quinque volumina formæ in patrium ſermonem conuerterit, ne, ſi Latinè legeret, ex Ouidij ſcriptis ſordes & barbariẽ colligeret beata pueri vena, quę iam tum ad exemplũ Maronis properabat, vt pleríq; Italorũ, propè ab incunabulis, meri exiſtunt iudicio ſuo Marones. Delicias hominis! quas an gens ſua riſerit neſcio, muſas profectò ipſas, quamlibet nũc triſtes, arbitror riſúm non tenuiſſe in tam delicato & Sybaritico faſtidio. Siue igitur errore vulgi, conſenſúque multitudinis, ſiue alia ratione inductus, nondum vt dixi, quicquam de Ouidio explicando cogitaram. Sed cùm ſceleratus hic annus ſororis filium egregiæ indolis mihi eripuiſſet, acerbúmque eius deſiderium niterer mutis librorum ſolatiis & alloquiis lenire, accidit vt inter cætera *Ouidij* quoque *ad Liuiã carmẽ cõſolatorium* percurrerem. Cuius carminis bis térque repetita lectio mœrorẽ meum auxit potiùs quàm minuit: hoc tantùm ſum aſſequutus, quòd aliquantò libentiùs lugere cœpi, vt ſæpe fit infelicis animi praua voluptas dolor. Acceſſit ad priuati caſus recordationem imago publicæ calamitatis, & oculis obuerſata eſt flebilis pa-

triæ ſpecies, quæ tot plagis cõfecta, & tãquam elata funere, ad diſpergendas eius reliquias pluribus ſimul rogis imponitur. O miſerã rerum faciem, & luctuoſum ſpectaculum! Ardet iamdiu bello Gallia, communis omnium parens, quæ nos genuit, excepit, educauit: & vix eſt vt tantum excitatum incendium niſi florentiſſimi quondã regni ruinâ reſtinguatur: quod omen in hoſtium capita Deus auertat. Verùm abſtineamus vngues ab hoc vlcere, ne retractatione crudeſcat: quãquam nec laurus, dum crematur, tacere poteſt, nec vir bonus, bonúſque ciuis, intueri ſidentem in cineres patriam, & ſentire ardorem flammæ, quin queratur & ingemiſcat. Mortalis tamen accuſandus eſt nemo: culpam huius vaſtitatis ſuſtinet

Fortuna ſæuo læta negotio:
Iniurioſo quæ pede proruit
Stantes columnas, cùm populus frequens
Ad arma, ceſſantes ad arma
Concitat, imperiúmque frangit.

Onerandum eſt inuidiâ crudele fatum, cuius æternæ legi de ortu & interitu rerũ humanarũ, neque vlli Tribuno intercedere licet, nec vllis populorum comitiis & ſuffragiis vel derogare vel obrogare. Nam abrogare ne diis quidẽ cõceditur. Vocãda in partẽ criminis natura, quæ certas eſſe voluit ciuitatum & imperiorum

conuersiones ac euersiones. Fuerunt hæc quæ patimur semper, & semper erunt; Conquirenda modò eiusmodi malorum, cùm eueniunt, solatia. Vnde, inquies? non è libro de consolatione, Ciceronis' nomine non ita pridem edito? minimè verò. Valeat Pseudo-Cicero, vt hybridam vocem vsurpem, & cum Pseudo-Cicerone facessat Pseudo-Cornelius-Gallus. Ad auctores suos, qui nos fungos putant, redeant trans Alpes, vnde huc malum pedem attulerunt. Leuabit meliùs ægritudinē nostram, quæcumque ex publicis vel priuatis malis continget, is qui Liuiæ mœrorem tam bene permulcet Ouidius: rationibus argumentísque peruincet, humana omnia esse humanè & moderatè ferenda: molli objurgatione querelas, muliebrésque eiulationes excutiet; virorum fortium exemplis singultus premet, ac recondet gemitus: alloquutione blanda lacrymas abstergebit: & verum esse demonstrabit quod ait in oratione περὶ εἰρήνης disertissimus ac suauissimus Rhetor Isocrates: ταῖς ψυχαῖς ταῖς νοσούσαις οὐδὲν ἐστὶ ἄλλο φάρμακον, πλὴν ὁ λόγος. Quibus consentiunt hæc in scenis & scholis decantata:

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.
Λόγος γὰρ ἐστὶ φάρμακον λύπης μόνος,
Ὁ λόγος ἰατρὸς τῶν κατὰ ψυχὴν παθῶν.

Nēpe, vt canes vulnera ſua lambendo, ſanant, illíſque pro medicamento eſt lingua: Sic animo ægroto, & ictu doloris ſaucio, ſalutaris eſt tempeſtiuè adhibita orationis medicina. Memoriæ prodiderunt Democritus & Theophraſtus viperarum hominúmque morſus quibuſdam tibiarum infractis modulationibus curari: quod & Iſchiadicis exiſtimant prodeſſe plurimùm. Contrà, cùm Phrygios mòdos tibicen incinebat, quaſi repentino furore, ac rabie perciti, Galli Cybeles, ferrū in ſe ſtringebant, & membra ſua laniabant, quæ vtinam inſania tanto interuallo ad eorum gentiles non perueniſſet. Non diſſimilis eſt vis orationis & facultas, quæ ſi vehementiùs in aures audientium infunditur, quantumuis quietas & ſedatas mentes concitat ac perturbat: ſin leniùs influit, perturbatas & concitatas ſedat, oleóque tranquilliores reddit. At iſtæ philoſophorum, non oratorum, ſunt conſolandi partes? Quid ſi philoſophos ipſos oſtendero ſuos hortulos, vnde remedia morbis animorum petunt, Ouidij fontibus irrigâſſe? Optimè, vt mea fert opinio, de luctu minuendo ſcripſit L. Annæus Seneca. Perlegite eius conſolationes ad Polybium Claudij Cæſaris libertum: ad Martiam Cordi Cremutij filiam; ad Elbiā matrem: niſi mihi conceſſeritis Senecam id totum Ouidij

carmen peruolutasse, edidicisse, in libros suos trãstulisse: ego vobis concedam me nihilò plus sapere quàm betam. Si non erit otium, aut pigebit perlegere, istum laborẽ vobis demam, & inter explicandum singillatim indicabo quid ex Ouidio Seneca sumpserit, quid subripuerit: quàm astutè dissimularit mutuum, & quàm callidè commutatis verbis, ceu signis & notis sententiarum, furtum suum occultârit. Interpellabit hîc aliquis, & à me Ouidium dicet falso alienarum virtutum præconio commendari: quoniam eruditi viri nuper huic carmini C. Pedonis Albinouani nomen inscripserunt. Fateor, & valde sum admiratus: nec adhuc intelligere potui cur id fecerint. Veteres certè membranas, libróque manuscriptos, sicut consueuerunt, eius rei testes nullos producunt: &, vt producerent, quis æquus Prætor infirmis & titubantibus librariorum testimoniis fidem haberet, & secundum eorum tabulas litem daret: ac non potiùs vetaret interdicto, ne Ouidius de antiqua possessione, & velut de auito fundo deiiceretur? Aliò cõfugiunt, & Ouidianum characterem non esse, nobis persuadere conantur. Equidem si versarer in meis numis, & illi parum locupletes essent, meam illis pecuniam citiùs quàm istuc crederẽ. Quòd autem aiunt clientem Drusorum fuisse Albi-

nouanũ, & idcirco hæc ſcripſiſſe laudẽ Druſi, cuius comes in Germania fuiſſet, & nauigationem in Oceano verſibus mandaſſet, eorum pace dixerim, fruſtra ſunt: Siquidem ex iis ipſis verſibus, qui hodiéque extant apud Senecam, & ex Corn. Tacito, ſatis liquet non ad huius Druſi, ſed ad Germanici filij nauigationem eos verſus referri oportere. Nec meliùs diuinant, cùm hariolãtur eundem eſſe Celſum Albinouanum, ſcribam Tiberij Neronis, æqualem & familiarem Horatij. Numquam ille fuit tam magni oris ac ſpiritus vt eiuſmodi carmẽ funderet, homo pertenuis ingenii, nec ingenui pudoris, vt apertè teſtatur Horatius in quadam ad Iulium Florum epiſtola:

Quid mihi Celſus agit? monitus, multúmque monendus
Priuatas vt quærat opes, & tangere vitet
Scripta Palatinus quæcúmque recepit Apollo:
Ne ſi fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum
Furtiuis nudata coloribus. --

Poſtremò, ne cuiquam ampliùs illudat hæc Æſopica Cornicula, néve, vt Cumanus aſellus Leonis gerat exuuias, plus quinquaginta locorum comparatione ita comprobabo eſſe Ouidii, vt, quod ait malus arbiter comicorum, ſi quis contrà ſentiat, nihil ſentiat.

Vnum hoc duntaxat superest, vt Ouidiani carminis argumentum paucis eloquar. Augusto Cæsari duas fuisse vxores accepimus, Scriboniam, & Liuiam. Sponsæ enim Seruiliæ Isaurici filiæ conditione vti noluit, & Claudiam Fuluiæ virginem intactámque dimisit. Scriboniæ mores, ex qua filiam suscepit, Iuliam, legis Iuliæ dedecus, ferre non valuit eámque sibi res suas habere iussit. Liuiam cognomento Drusillam, captus insigni forma, matrimonio Claudij Tiberij Neronis, cui jam filium Tiberium generat, & ex altero grauidam, domum abduxit, vbi intra mensem tertium hunc Drusum peperit, cujus mortem deflet Ouidius, olim Decimum, mox Neronem prænomine, quem tanta suspicio fuit ex vitrico per adulterij consuetudinem pro creatum, vt Græcus senariolus vulgò jactaretur:

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Ex Liuia nihil Augustus liberorum tulit: nihilominus in liberûm loco ac numero priuignos habuit Tiberium atque Drusum: eósque ad reip. curam admouit, & iussit imperij partem capessere. De Tiberio nihil necesse est plura dicere: frater eius Drusus, in Augusti gratiam à Senatu legibus solutus, ante legitimam ætatem Quæstor, Prætor, & Consul factus est. In Quæsturæ & Præturæ honore dux Rhetici,

deinde Germanici belli præclarissimas res gessit, quas recensebit Ouidius, vnde jus ouandi & triũphalia cepit ornamenta. Post præturam, inito statim consulatu repetiit expeditionem Germanicam, vbi morbo, quem ex equi lapsu contraxerat, supremum diem obiit, in æstiuis castris, quæ ex eo scelerata sunt appellata. *Adolescens ille*, inquit Velleius, *tot tantarúmque virtutũ fuit, quot & quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit: cuius ingeniũ vtrũ bellicis magis operibus, an ciuilibus suffecerit artibus in incerto est. Morum certè dulcedo, & suauitas & aduersus amicos æqua, ac par sui æstimatio, inimitabilis fuisse dicitur, & eximia corporis pulchritudo. Illum autem magna ex parte domitorem Germaniæ plurimo eius gentis, variis in locis, profuso sanguine, fatorum iniquitas, consulem, agentem annum tricesimum, rapuit.* Nihil attinet commemorare quâ pompâ, (ea triumpho simillima fuit) corpus relatum in vrbem, crematum, sepultúmque in campo Martio: vtque defunctum, cùm pro concione laudaret Augustus, deos precatus sit, similes ei Cæsares suos facerent, sibíque tam honestum quandóque exitum darẽt, quàm illi dedissent. Elogium insuper versibus à se compositis, sepulcro insculpsit, prosáque oratione, vitam eius complexus est. Liuia mater audita morte filij, in primo illo furore, cùm

maximè feroces, impotentésque sunt miseriæ, se consolandam Arrio philosopho Alexandrino præbuit: eáque orbitate masculum animũ, feminaque principe dignam constantiam exhibuit; vt quæ simul cum cinere atque ossibus filij dolorem suum eius tumulo intulerit. Hæc è Velleio Paterculo, Seneca, Plinio, Suetonio, Cornelio Tacito, epitoma Liuij in pauca contulimus, vt apertior vobis esset & planior ad Ouidiani carminis explicationem via. Habetis breuis libelli breuem præfatiunculam: quæ tamē vereor ne sit æquo prolixior: & imitatus existimer malos architectos, aut ineptè ambitiosos patresfamilias, qui ne in re angusta videantur angustè habitare, aliquando paruis ædibus magna præstruunt vestibula.

IOAN. PASSERATII IN OVIdij Armorum iudicium Præfatio.



NVNQVAM fore putarem vt semel explicata consolatione ad Liuiam super morte Drusi, Ouidium rursus attingerem: non quòd eum auctorem aspernarer, quem semper existimaui perbonum & peru-

tilem ſtylo iuuentutis: ſed quod iſtam operam arbitrarer in obſcurioribus ſcriptis illuſtrandis meliùs collocari poſſe. Mutaui tamen conſilium; nec propterea leuitatis & inconſtãtiæ crimen pertimeſco: quin vos quoque ſpero meã rationem eſſe probaturos, vbi cur id fecero intelligetis. Primùm quærenti mihi & circunſpicienti libellum qui horum dierum breuitati conueniret, occurrit mihi hæc de Achillis armis inter Ajacem & Vlyſſem contentio paucis deſcripta verſibus: ſimúlque obiecta Terentiani Getæ religio, quâ faciliùs moueor, quòd meæ fauet ignauiæ: *Interdixit hariolus: Haruſpex vetuit aliquid magni ante brumam incipere.* Deinde ab officio noſtro, ſuſceptáque eloquentiæ profeſſione, non eſt id carmen alienum, in quo nota Rhetorum præcepta nemo deſideret: ſiue ad fidem faciendam, ſiue ad flectendos permouendóſque animos eorum qui audiunt: omnéſque fateantur eſſe veriſſimum quod in libro primo *de Oratore* ſcribit Marcus Tullius: *finitimus eſt oratori poëta, numeris deuinctior paulò, verborum licentiâ liberior, multis ornandi generibus ſocius, ac penè par, in hoc fermè idem, quòd nullis circumſcribat terminis ac definiat jus ſuum, quominus ei liceat, eadem illa facultate & copia, vagari quà velit.* Et in libro tertio: *Poëtis eſt cum*

oratoribus proxima cognatio. Item in Oratore adBrutum: *Etiam poëtæ quæstionem attulerunt, quídnam illud esset quo ipsi ab oratoribus differrent: numero antea videbantur & versu: nunc apud oratores numerus increbuit. Hoc autem laudabilior est poëta, quòd Oratoris virtutes persequitur, cùm numero sit astrictior.* At hoc poëma in minutis scholis tritum, & pueris decantatum, parum hujus loci amplitudinem decet. Improbum facinus, & animaduersione dignum censoria. Ecquid tam protritum, ecquid tam proculcatum quàm vrbis viæ, quas equi, boues, asini, muli, hominésq; clitellarij, assiduè terunt? Ideóne me continebo domi, ne bipes ingrediar inter quadrupedes, & carebo publico, ne minuam majestatem ordinis; vel, si prodire huc velim, cogar dignitatis caussâ, cum simiis & felibus in tegulis ambulare? Non ascendam illuc, opinor: imitabor potius Chalcidensem T. Quintij hospitem: atque vt ille bellus scitúsque conuiuator, cùm Imperatori Romano, ejúsque prætoriæ cohorti cœnam daret, omne genus venationis, speciémque ferinæ carnis, variis cõdimentis effinxit: Sic ego easdem istas vulgares epulas, vt cæteri, nempe Ouidium, vobis apponam, sed alio pacto condiam. Libet enim magnifica verba fundere, vt gloriosi coqui solent in Comœdiis. Tenuis erit forsitan ap-

paratus : nimirum in re tenui : quanquam, si Maroni credimus apiculas suas jactanti;

In tenui labor, at tenuis non gloria, siqua
Numina læna sinunt, auditque vocatus Apollo.

Huc adde quod ad interpretationem Ouidii passim Homerus adhibendus, aduocandus sæpe Sophocles, aliíque Græcæ principes Tragœdiæ : conquirendæ colligendæque sparsæ ac laceræ poëtarum reliquiæ qui Latinè eam fabellam expoliuerunt, vt Attius, & Pacuuius, omnísq; æui doctissimus M. Varro: nec Liuius Andronicus Enniúsque sunt prętermittendi, quos vertisse Ajacem ex antiquis grãmaticis cognoscimus. Horum si extarent integræ tragœdiæ, hodie, ne quid dissimulẽ, nihil mihi esset cum Ouidio negotii : nunc, quod solum licet, cũ Ouidianis conferã fragmenta, quę superesse voluit tẽporũ injuria: eáque locorũ inter se comparatio, nisi fallor, vobis erit non injucunda. Istuc autem quod armorum judicium vocauerunt, valde olim probatum celebratúmque fuit: Cęsarémque ipsum Augustum in eo genere lusisse jocus illius indicat, quem refert Macrobius his verbis. *Ajacem tragœdiam scripserat; eámque, quòd sibi displicuisset, deleuerat. Postea Lucius, grauis tragœdiarum auctor, eum interrogauit, quid ageret Ajax suus, in*

ſpongiam, inquit, *incubuit.* Præterea nobiles pictores, vt ſunt gemini germani poëtarum, (ἐστὶ γὰρ ζωγραφία ποίησις σιωπῶσα, ποίησις δὲ ζωγραφία λαλοῦσα) in eo ſe argumento libenter exercuérunt, ſuáſque tabulas iis coloribus inuſſerũt. Timãthem & Parrhaſiũ teſtor, quorum hic, Sami, magnis ſuffragiis, vt Plinius loquitur, ab illo, in Ajace armorúmque judicio ſuperatus, heroïs nomine, ſe moleſtè ferre dicebat, quòd iterum ab indigno victus eſſet. Itaque in eo carmine nec opera mea nec veſtra ludetur: nec ſi proprior ſocco ſtylus hic quàm cothurno, vobis vilior habebitur: niſi fortè quoſdam ab Ouidij lectione abducit Senecæ Philoſophi, & Fabij Rhetoris auctoritas, qui Ouidio non multùm tribuunt, ſiue potiùs plurimùm detrahunt. Fabio priùs, poſteriùs Senecæ reſpondebo. Fabius *in libro decimo Institutionum Oratoriarum, capite primo*, vbi de vi & facultate poëtarum vtriuſque linguæ differit, ita de Ouidio pronuntiat: *Laſciuus in heroïcis quoque Ouidius, & nimium amator ingenij ſui.* Nec procul hinc: *Ouidius vtroque (Tibullo & Propertio) laſciuior.* Ac paulò pòſt: *Ouidij Medea* (id tragœdiæ nomen) *videtur mihi oſtendere quantum vir ille præſtare potuerit, ſi temperare ingenio ſuo quàm indulgere maluiſſet.* Amat inge-

nium suum Ouidius: magnum crimen, & ad tribunal L. Cassij quæsitoris deferendum! Mirum ni oderit: more hominum facit, & præcipuè poëtarum, qui omnes Suffeni sunt & Aquinij. Indulget Ouidius ingenio suo: aduectum credo, est aliquid ex Africa noui: an si genio suo indulgeret, sapere multorũ judicio diceretur, Fabij sententiâ dicetur insanire quòd suo indulget ingenio? Bonis nostris benigniùs & liberaliùs, citra reprehensionem, nobis vti conceditur. Nostris ingeniis, tanquam equis, quó libitum est cúmque vehimur: campúmque & planitiem nacti, non tam iis adducimus habenas, quàm laxamus & immittimus. Lasciuit Ouidius, & luxuriat, hoc ego laudi duco quod tu vitio vertis: quod tu obesse putas, id ego prodesse adolescentulorum studiis existimo. Et verò peruincam, eo si certemus judice quem tu iniquum ejerare non audeas. *Volo*, inquit M. Tullius in libro secundo de Oratore, *se efferat in adolescẽte fæcunditas. Nam faciliùs, sicut in vitibus, reuocantur quæ se nimiùm profuderũt, quàm si nihil valet materies, noua sarmenta culturâ excitantur: ita volo esse in adolescente vnde aliquid amputem. Non enim potest in eo succus esse diuturnus quod nimis celeriter est maturitatem adeptum.* Sed quid ego M. Tullium appello? Te tibi judicem fero; te tuis

damnabo tabulis, qui longè plura in eam sententiam disputasti *capite quarto libri secundi*, quæ & breuitatis caussâ prætereo: & vt ad Senecam veniam, cuius quo nomen est maius & grauior existimatio, hoc est accuratiùs censura refellenda. *In libro controuersiarum secundo, controuersia tertia*, (quod opus patrísne Senecę, an filij sit, aliàs videro) hæc de Ouidio leguntur: *Declamabat Naso rarò controuersias, & non nisi ethicas: libentiùs dicebat suasorias: molesta illi erat omnis argumentatio: verbis minimè licenter vsus est, nisi in carminibus: in quibus non ignorauit vitia sua, sed amauit. Manifestum potest esse, quòd rogatus aliquando ab amicis suis vt tolleret tres versus, inuicem petijt, vt ipse tres exciperet, in quos nihil illis liceret: æqua lex visa est: scripserunt illi quos tolli vellent: in iisdem codicillis iidē versus erāt: ex quibus primū fuisse narrabat Albinouan⁹ Pedo, qui inter arbitros fuit:*

Semibouémque virum, Semiuirúmque bouem:

Secundum:

Egelidum Borean, egelidúmque nothum.

(Valdè mihi dolet versum tertiū intercidisse.) *Ex quo apparet*, subiūgit Seneca, *summi ingenij viro, iudicium non defuisse ad compescendam licentiam carminum suorum, defuisse animū. Aiebat interim decentiorem faciē esse, in qua aliquis næuus inesset*. Purgauimus ista ferè suprà in defēsionē lasci-

lasciuiæ & luxuriæ quæ obiicitur à Fabio: quod autem ad næuum attinet, assentiretur Ouidio grauissimus auctor Alcæus, quem næuo in articulo pueri impensius delectatum esse accepimus. Pergit in Ouidiū Seneca, & in controuersia septima libri tertij: *Alfius*, inquit, *Flauus hanc sententiam dixit: Ipse sui & alimentum erat, & damnum. Hunc Cæstius, quasi corrupte dixisset, obiurgans: Apparet te poëtas studiose legere. Iste sensus est eius qui hoc seculum amatoriis non artibus tantùm sed sententiis impleuit.* Ouidius enim in libris Metamor. dicit:

Ipse suos artus lacero diuellere morsu
Cœpit, & infelix minuendo corpus alebat.

Idem in controuersia quinta libri noni. *Habet hoc Montanus vitium: sententias suas repetendo corrumpit. dum non est contentus vnam rem semel bene dicere, efficit ne bene dixerit: & propter hæc & alia, quibus Orator potest poëtæ similis videri, solebat Scaurus Montanum inter Oratores Ouidiū vocare. Nam & Ouidius nescit quod bene cessit relinquere. Non multa referam quæ Montaniana Scaurus notabat, vno hoc contentus ero. Cùm Polyxena esse abducta, vt ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dixit:*

--- cinis ipse sepulti
In genus hoc pugnat.

Poterat hoc contentus esse, adiecit:

--- tumulo quoque sensimus hostem.

Nec hoc contentus adiecit:

Ajacidæ fœcunda fui. ---

Ajebat autem Scaurus rem veram: non minùs magnam virtutem esse, scire desinere, quàm scire dicere. Attendite quàm cæca sit aliena carpendi cupiditas; dum Ouidium insimulat vitij, errorem insignem errat, eúmque duplicem: & quòd hæc ab Hecuba dici ait, antequàm Polyxena immolaretur, quæ dicuntur ab Hecuba in hoc libro post necem Polyxenæ: & quòd ea reprehendit in Ouidio quæ in summis & poëtis & oratoribus laudantur. Homerus in Achillis ad matrem querimonia, ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας αὐτὸς ἀπούρας. Ter idem dixit ἑλὼν, ἔχει, ἀπούρας; nec vitiosum esse quisquam putat. Virgilius in oratione Ilionei:

Quem si fata virum seruant, si vescitur aurâ
Aetheriâ, nec adhuc crudelibus occubat vmbris.

Sermonem hunc nemo non emendatum putat cùm satis fuerit vnum è tribus dixisse. Simile Ciceronis illud in perduellionis caussa: *Inclusum atque abditum latère in occulto: & ignauiam suam parietum ac tenebrarum custodiis tegere.* Eiusmodi trecenta memorari possunt, quæ si in aliis dicendi virtutes habentur, cur in

Ouidio vitia existimentur,nihil caussæ video, nisi in eo Senecam voluisse caninam exercere facundiam; & seueri censoris partes agere, quasi nihil vnquam in vita aut scriptis deliquerit. Quod sanè mihi verbum Catonis in mentem reuocat, *qui mirari se aiebat cur non Aruspex rideret, cùm Aruspicem aspiceret*: Ita Senecam miror tenuisse risum quoties libros suos legeret, vbi commendat paupertatem feneratorum omnium locupletissimus, & laudat clementiam præceptor Neronis. Neronem de industria nominaui, vt ex ouo qualis coruus fuerit æstimetis. Et quomodo fuisset æquus Seneca Ouidio, qui Mœcenati, communi poëtarum parenti, quotquot aureo illo exorti sunt Augusti sæculo, tam infensus fuit? eius mores, facta, dicta, verba denique singula sic carpit, vt videatur in eo mustaceo laureolam quærere: & in virum post homines natos optimum, beneficentissimúmque, malignum petulantis linguæ virus effundat. Ista videlicet mella legerat quondam *exul inter Corsici rupes maris*. Si hæc in Senecam acerbiùs, ignoscite; eò me prouexit, non odium Senecæ, sed Mœcenatis amor: &

Hoc si crimen erit, vt ait Propertius, *crimen amoris erit.*

Nolim illo pacto violare sanctitatem ma-

nium : verùm non tam est immanitas violare manes, quàm humanitas violatos manes vlcisci. Satisfaciat Ouidio & Mæcenati, ego cum illo rediero in gratiam. Sentio & loquor vt Plautinus Tranio in Mercatore: *Mihi pax est cum mortuis.*

Ossa quieta, precor, tuta requiescite in vrna,
Et sit humus cineri non onerosa suo.



IOAN. PASSERATII PRÆFATIO in Epithalamium Catulli.

DE vetere nuptiarum apud Romanos ritu verba facturi, quod antiquæ religionis, ac pietatis, semper fuit, Deos præfabimur; & eos præcipuè commemorabimus, quos esse matrimoniorum præsides censuerunt.

Principium autem à Ioue ducemus, quē Δία τέλειον appellabant; Suidas, Pollux, & Eustathius, rectè γαμήλιον interpretantur. Is verò inter coniugales Deos colebatur, ὅτι Ζεὺς πατὴρ καλεῖται πάντων, vt ait Dionysius Halicarnasseus. Iupiter

Nec alias de caussa ἥραν τελείαν καὶ ζυγίαν venerabantur, quam Iunonem Iugam Latini vocant, à viris feminisque conjugandis, cui Romæ ara fuit in vico, qui ob id Iugarius nuncupatus. A variis autem officiis, varia sortita est Iuno cognomina; modò enim Pronuba dicebatur, quòd in ejus tutela essent nubentes; modò Cin- Iuno.

xia, â virginalis solutione cinguli: modò Vnxia, ab vngendis januæ maritalis postibus: modò Curitis, ab hasta ferenda: quod cùm sit imperij symbolum, subijciendam significabat imperio viri vxorem: modò Domiduca, vt Deus quoque habebatur Domiducus, eadémque Iterduca, nisi potiùs Introduca legendum sit, quòd mariti domum nouam nuptam duceret, & in eam introduceret.

Ceres. Inuocabatur & Ceres; vel quod θεσμοφόρος, & legifera; ob legitimam maris & feminæ conjunctionẽ: vel quòd δᾳδοῦχος atque tedifera, ob nuptiales faces: vel quòd rebus creandis præsit, vnde & nomen inuenit; vel quòd rei familiaris curam gerat, vnde ἐπποικίδη est appellata.

Liber pater. Interesse quoque connubiis Liberum patrem volebant: vel quòd vnà cum Cerere semper colebatur: vel quòd Deum libertatis esse arbitrabantur, quam in mariti domo esset vxor auspicatura.

Numerabant etiam inter conjugales Deos Apollinem, eundémque Phœbum, κατὰ φῶς βίου, καὶ λυκηγενέτην, quasi lucis auctorem: aut quòd auspiciis & Apollo. augurijs videat, sine quibus nullæ fierent nuptiæ.

Fratrem Apollinem comitabatur Diana, & ad fœcunditatem, & ad facilitatem futuri partus. Diana.

Aduocabant Mercurium cum Venere, vt significarent benigni sapientísque sermonis voluptatem indigere conjugalem. Mercurius. Venus.

Atque vt Venus ceston adferre credebatur, sic aurea vincula Veneris filius, si audimus Tibullum: Amor.

Vota cadunt : vtinam strepitantibus advolet alis,
Flauáque coniugio vincula portet Amor!

Præterea cum Gratiis vt adesset Peitho, siue Suada, precabantur : videlicet vt neque vi, neque jurgiis aut minis, sed vltrò merísque blanditiis, conjuges à se mutuò quæ vellent impetrarent. Gratia Suada

Sequuntur dii quidam paulò obscuriores, & è Semonum turba, vt

Pilumnus & Picunnus, quibus lectus genialis in ædibus mariti sternebatur: neque ipsi Pilumnius Picunnus.

Genii maritorum prętermittendi, quos aduocare solebant pronubæ, cùm femi- Genius

næ Genios nullos, ſed Iunones tantùm haberent.

Ex eadem numinum turba

Iugatinus. Iugatinus, à iugandis copulandiſque viris ac feminis;

Subigus. Subigus, qui viro ſubigeret, morigerámque redderet vxorem.

Domitius. Domitius, vt in domo mariti vxor eſſet.

Manturna. Manturna Dea, vt cum viro perpetuò maneret vxor.

Virginenſis. Virginenſis, vt virgini zona ſolueretur.

Perfica. Perfica, quæ obſcœnas luteáſque voluptates ad exitum perficeret dulcedine inoffenſa procedere.

Prema. Prema, vt ſubacta nupta ne ſe commoueret cùm premeretur.

Pertunda. Pertunda, quæ in cubiculis præſto eſſet virginalem ſcrobem effodientibus maritis.

Mutunus. Poſtremus omnium Mutunus, vel Mutinus, aut Mætinus, idem, opinor, cum hortorum cuſtode, cuius immani faſcino inequitare nuptam docebant pronubæ, vt à Deo delibata eius virginitas exiſtimaretur.

Craſſiùs iſta fortaſſe, ſed veritus non ſum quod non puduit ſanctiſſimos viros

Augustinum & Arnobium proferri. Nec sanè licuit thalassionem, vt ille ait,

verbis dicere non thalassionis.

Enumeratis iis numinibus quæ adesse nuptiis ferebantur, (nam de Hymenæo suo loco dicetur ;) transeamus ad ritum nuptiarum, & ordiamur à sponsalibus.

Sponsalia contrahi solita vel nudo consensu, vel interposita stipulatione & sponsione, adhibitisque tabulis, in quas sponsalitiæ conuentiones referrentur, notissimum est, σπονδάςque & libationes quasdam fieri consueuisse.

Nec illud dubium sponsum dare sponsæ vel mittere solitum annulum ferreum, eúmque sine gemma. *Annulus.*

Quòd si fortè luctus in familia erat, propter sponsalia minuebatur.

Contractis sponsalibus, pater sponsæ cœnam sponso dabat ; & hoc est quod M. ait Tullius se Crassipedi, cui Tulliolam suam desponderat, sponsalia præbuisse. *Conuiuium.*

Pridiè nuptiarum regillis, tunicis albis, reticulis luteis, vtrísque rectis, textis sursum versus à stantibus, indutæ virgines cubitum ibant ominis caussa. *Festus.*

Nuptiis autem non quilibet dici poterat dies. Nam totus mensis Majus, paren- *Atri dies.*

talia, mundus cùm pateret: Calendæ, Nonæ, Idus, Calendarum, Nonarum, Iduum, posteri dies, vt atri nuptijs, censebantur alieni.

Vsus, far, coëmptio. Nihil hîc necesse est de tribus generibus matrimoniorum, vsu, farre, coëmptione, longam orationem expromere: nullo negotio consuli possunt Cicero *in Topicis*, & ad ea Boëtius, vt Arnobius & Vlpianus.

Auspices. Cæterùm non nisi auspicatò celebrabantur nuptiæ; sempérque auspices nuptiis adhibiti, etiam cùm auspicia petere desierunt. Nullum verò nuptiis augurium felicius, quàm Accipitris Circi altero pede claudi aspectus. Solus aër conscius erat cùm auspices adhiberent:

Ornatus. Recta tunica. Pòstquam nuptura togam, prætextámque puerilem, fortunam ad virginalem detulisset, recta tunica induebatur, qualem Caia Cæcilia texuerat, cuius nomen faustum frequénsque in nuptiis.

Cingulum. Cingebatur cingulo, quod vir in lectò soluebat, facto ex lana ouis.

Seni crines. Senis crinibus ornabatur, siue sex crinium sertis; quòd is ornatus antiquissimus fuit; aut quòd ita ornabantur Vestales,

quarum castitatem viro spondebat.

Celibari comebatur hasta, quæ in abiecti occisique gladiatoris corpore stetisset. *Celibaris hasta.*

Vittam rectam eo die gestare incipiebat. *Propertius.* *Vitta.*

Coronam an capite gestarit, mihi est incertum, neque id planè confirmatur his Tertulliani verbis de Corona militis: *Coronant nuptiæ sponsos*: neque hoc Lucani versu, *Corona*

Turritáque premens frontem matrona corona:

Siquidem, vt ex Synesio didicimus, postero die nuptiarum fiebat, vt fascijs redimita caput, & Cybeles instar turrita, vrbem circumiret. Corollam certè de floribus verbenis, herbísque à se lectis, sub amiculo tulisse non ambigitur.

Obnubebatur eius caput, flammeo lutei coloris, vnde Nuptæ & Nuptiarum nomen, quòd eo genere veli assiduè flaminica vteretur, cui non licebat facere diuortium. *Flammeum.*

Sic ornata rapiebatur, aut rapi simulabatur, è gremio matris: vel si ea *Raptus*

non esset, ex proxima necessitudine, exemplo Sabinarum, quarum raptus Romulo, priscísque illis pastoribus prosperè cesserat.

Vesper Tin. é. Officiũ. Prodibat sub noctem, exoriente stella vespero, & præcedente tibicine: magna cognatorum amicorúmque frequentia, qui ad hoc officium conuenerant.

Deductores. Fax. Tres pueri patrimi & matrimi eam deducebant, quorum vnus facem spineam, siue pineam præferebat, reliqui duo nubentem tenebant.

Vtensilia. Colus compta cum fuso & stamine comitabatur, impubésque puer vtensilia nubentis in operto vase gestabat: quem puerum Camillum, vt vas, quod etiam Cumerum aut Cumeram vocabant.

Camillus. Cumera.

Tres asses. Deferebat tres asses ad maritum, quorum vnum, quem manu teneret, tanquam emendi caussa, daret marito: alterum quem in pede habebat, in foco Larium familiarium poneret: tertium, quem conditum in sacciperio compito vicinali resignaret.

Thalassius. Ianua & Lares coronati. Hac pompa, Thalassium inuocantes, nuptam domum mariti traducebant; cuius erat ianua laureata, postésque, & Lares familiares coronati.

Vbi ventum erat ad ædes mariti, nupta *Lanea vitta.* Ianuam postésque laneis vittis cingebat, lanámque fixam tangebat: & ne quid mali medicamenti ingrederetur, adipe lupino postes vngebat: ex quo vxoris nomen, *Vnctio* & Vnxiæ Iunonis, vt antè diximus.

Tum maritus pro foribus interrogabat, quænam esset? respondebat se Caiam *Quæ? Caia interrogatio.* esse; rursus quærenti, vellétne sibi esse materfamilias, respondebat se velle; & vbi ille Caius esset, Caiam se futuram.

Haud scio an illic aqua adspergeretur, *Aspersio.* an antequam deducta esset, vt pura castáque ad virum veniret: Illic sanè aqua *Aqua & Ignis.* & igni positis in limine vxorem maritus accipiebat. Ignis autem è foco Aedilium in titione ex felici arbore, Aqua verò in aquali è puro fonte per puerum felicissimum adferebatur. Iubebatur nupta ignem & aquam tangere. *Plutarchus.*

Interea fax, qua prælucente noua nupta deducta erat, rapiebatur ab vtriúsque *Fax rapta.* amicis: ne aut vxor ea nocte sub viri lecto poneret, vel vir in sepulcro comburendam curaret; quo vtróque, mors alterutrius captari putabatur.

His confectis, Limen nupta transilibat, quod ominosum erat contingere: *Liminis traiectio. Claues*

& claues tradebantur ingredienti, siuẽ ad signandum partus facilitatem, siue ad omnium rerum permissam administrationem & custodiam.

Lanata pellis. Mox in lanata pelle statuebatur; vel propter morem vetustum, quo homines erant pellibus induti; vel vt testaretur se lanificij officium præstaturum viro.

Toga lectus stratus. Pronuba. Nuptiali peracta cœna, sternebatur togâ lectus, aduocato, vt suprà monuimus, mariti Genio, (adde huc lectum aduorsum;) ac postquã Mutono litauerant eo ritu quem indicauimus, Pronubæ, quæ vni tantùm viro nupsissent, nuptam in lecto collocabant.

Tenebræ. Nuces. Maritus verò ad nuptam non accedebat nisi omnibus luminibus remotis, & sparsis nucibus, quas pueri cum tumultu legerent, positísque prætextis *Fescenninos* canerent, procaces & inconditos versiculos.


Fescennini.

Sacra. Munera Repotia Postero nuptiarum die, noua nupta libertatem auspicans vxoriam, in mariti domo rei diuinæ operam dabat, eíque à propinquis ac cognatis munera mittebantur. Eodémque die apud nouum maritum instaurabatur potatio, cui nomen inde Repotia.

Veterem nuptiarum apud Romanos ritum perſtrinximus, cuius partem maximam jampridem collegit, & libro ſingulari complexus eſt vir doctiſſimus, ampliſſimúſque Præſes Briſſonius; nos quædã inueſtigauimus & adjunximus. Quòd ſi aciem noſtram nonnulla fugerint, mementote ne Solem quidem ipſum, mundi oculum, videre omnia.

Non progrediar hodie longiùs. Satis enim negotij vno die confecit qui mulierem ornarit, compſerit, & deduxerit.

IOAN. PASSERATII PRÆFAtiuncula in Propertii librum primum.



ST præter opinionem vulgi, nec absurdum tamen, quod in Euripidis Medea nutrix conqueritur:

Σκαιοὺς δὲ λέγων,
Κοὐδέν τι σοφοὺς,
Τοὺς πρόσθε βροτοὺς
Οὐκ ἂν ἁμάρτοις.
Οἵτινες ὕμνους (:)
Ἐπὶ μὲν θαλίαις,
Ἐπί τ' εἰλαπίναις,
Καὶ παρὰ δείπνοις,
Εὕροντο, βίου
Τερπνὰς ἀκοάς. (:)
Στυγίους δὲ βροτῶν
Οὐδεὶς λύπας
Εὕρετο, μούσῃ,
Καὶ πολυχόρδοις
Ὠδαῖς παύειν,
Ἐξ ὧν θάνατοι (:)
Δειναί τε τύχαι
Σφάλλουσι δόμους,
Καὶ τοι τάδε μὲν

Κέρδος

Κέρδος ἀκεῖσθαι,
Μολπαῖσι βροτούς;
Ἵν' εὔδειπνοι
Δαῖτες τι μάτην
Τείνουσι βοάν.
Τὸ παρὸν γὰρ ἔχει
Τέρψιν ἀφ' αὐτοῦ
Δαιτὸς πλήρωμα βροτοῖσιν.

Molliculum, aureolum, & prorsus Euripideum Anapæstum! Cuius ego carminis venustatem quia Latinis versibus exprimi posse diffido; circuitione ambituque verborum leuiter adumbrabo, vt vim eius nonnullam ij saltem percipiant qui Græcè nesciunt. Ex priscis, *inquit*, mortalibus, qui primus instituit vt diebus festis, epulísque solemnibus, & conuiuiis, fidicularum vocúmque modulationes adhiberentur; à luctu verò & lacrymis eas remouit: is profectò insigniter imperitus, ne dicam stultus fuit. Rebus enim secundis, & ad nutum fluentibus, quorsum attinuit hæc interponere quæ aures mentésque nostras permulcent: cùm lauta, & ad plenum instructa conuiuia, satis ex se voluptatis habeant, sine citharœdo & tibicine? At cùm transuersa votis nostris incurrit fortuna, cùm premimur curis, & conficimur angoribus, tum lyræ tibiæque cantu, & assa voce solari ægritudinem satius fuerat. Hac

ratione permoti, nobis nunc maximè audiendam censuimus Propertij Musam, & Amoris quem canit hilaritate tristitiam temporum esse condiendam: vt dum hæc detumescunt negotia, repentinæque turbæ consilescunt, à præsentis mali sensu, & à cogitatione publicæ calamitatis, animum tantisper abducamus. Nam pacis Amor Deus est, --- *Pacem venerantur amantes*, vt hic noster ait; & multò ante poeta vetus apud Platonem:

Εἰρήνην μὲν ἐν ἀνθρώποις, πελάγει δὲ γαλήνην,
Νηνεμίαν δ' ἀνέμων, κοίτην, ὕπνον τ' ἐνὶ κήδει.

Quæ Latinè, quamuis pinguiore Minerua, reddideris:

Magnus Amor pacem tribuit mortalibus almam:
Aeriósque solet motus, tumidíque procellas
Aequoris, & tristes cessatum ducere curas.

Negat & Mimnermus apud Plutarchum περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς, esse quicquam in vita dulce vnde Amor absit: nec mori recusat vbi Veneriæ militiæ commodis frui desierit:

Τίς δὲ χάρις, τὸ δὲ τερπνὸν, ἄνευ χρυσῆς Ἀφροδίτης,
Τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλει.

Qua de sententia Horatius in epistolis:

Si, Mimnermus vti censet, sine amore iocísque,
Nil est jucundum, viuas in amore jocísque.

Accedat his comicus senex è Casina Plauti:

Coquos equidem, inquit, *nimis demiror qui vtuntur condimentis,*

Eos eo condimento vno non vtier, omnibus quod præstat:

Namque vbi amor condimentum inerit, cuiuis placiturum credo.

Neque salsum, neque suaue esse potest quicquam, vbi amor non admiscetur.

Fel, quod amarum est, id mel faciet: hominem ex tristi lepidum & lenem.

Adsit igitur amor stipatus Gratiarum choro: tum huius alitis felici aduolatu & auspicio spes nobis affulserit concordiæ. Nisi fortè periculum est ne quis nos existimet alieni amoris interpretes, eadem opera adolescentium intemperantiæ libidinum faces admouere. Quasi verò vllo sit opus ad nequitiam magistro. Vellem sanè opus esset, nec nisi assiduo labore, peruigilique studio vitia discerentur: minùs multos improbos hodie videremus. Sed vt bonæ fruges absque diligenti cultura, continuáque politione, etiam è pingui solo, non excitantur, cùm inutiles herbæ succrescant vberrimè: sic in hominum ingeniis ægrè adolescunt semina virtutum: vitia autem, & statim oriuntur, & augentur citò: & serò vel nunquam euelluntur, altissimis defixa radicibus. Quis autem jure

nos reprehēdat, si quod facimus, antiquissimorũ & eruditissimorũ virorum more ac exemplo facimus? Rapta Helena: abducta Briseïs: Penelopes proci; Homero Iliada & Odysseã pepererunt, quod vtrúmque opus doctorum manibus quotidie teritur, & semper teretur. Homero proximus diuinæ Æneïdos auctor

Intulit in Tyrios arma virúmque toros.
Nec legitur pars vlla magis de corpore toto
Quàm non legitimo fœdere junctus amor.

Tyrannorum exactor Alcæus,

Qui ferox bello, tamen inter arma,
Siue jactatam religarat vdo
Littore nauim:
Liberum, & Musas, Venerémque, & illi
Semper hærentem puerum canebat:

idémque de se Romanus Alcæus liberè confitetur:

Nos conuiuia, nos prælia virginum,
Sectis in juuenes vnguibus acrium
Cantamus vacui; siue quod vrimur,
Non præter solitum leues.

Cæteros poëtas prætereo, quos percensere longum esset; Comœdias certè & Tragœdias, cõponere, legere, agere, spectare, quando non licuit; quarum argumenta probri & adulterij plena sunt? Plenæ flagitiorum & stuprorum historiæ, & ipsis annalibus nihil fuisse perhibẽt

hirſutius ac laſciuius. Phædrum & conuiuium Platonis nemo non legit: & Stoïcorum pater Zeno, incredibili grauitate ac ſeueritate philoſophus, ſcripſit non modò περὶ ἐρώτων, ſed etiam περὶ ἐρωτικῆς τέχνης; vt iam Ouidio parãda non ſit defenſio, quòd *de arte amandi* libros ediderit. Abeamus à poëtis, hiſtoricis, philoſophis; quid libentiùs auſcultamus quàm luſcinias? eæ tamen, ſi credimus iſtis qui linguas auium intelligunt, mera ſtupra, & inceſtos amores garriunt:

Omne adeò genus in terris hominúmque ferarúmque,
Et genus æquoreũ, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignémque ruunt: Amor omnibus idem.

Pugnare mihi liceret pluribus argumentis, teſtimoniis, & exemplis; imò verò quatuor verbis Terẽtianis cauſſam obtinere poſſem: *Iſta noſſe ſalus eſt adoleſcentulis*: Verum quod arguitur, quia falſum eſt, inficiari placet. Non enim magis ad amorem & libidinem alios hortatur ſuis malis & miſeriis commemorandis Propertius, quàm miles enumerandis laboribus militiæ, & ſuis vulneribus oſtentandis alios ad bellum vocet: aut quàm nauta inuitat ad nauigandum, narrandis ſuis periculis & nau-

fragijs scilicet hæc ad amandum impellunt.

Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix, properas vltima nosse mala,
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere è tota toxica Thessalia.

Vel ista:

Tum magis Armenias cupias accedere Tigres,
Et magis inferna vincula nosse rota;
Quàm pueri toties arcum sentire medullis.

Aut illa:

Vel tu Tantalea mouearе ad flumina sorte,
Vt liquor arenti fallat ab ore sitim.
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile vt toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est quod viuat amante:
Nec modò si sapias, quod minùs esse velis.

Item:

Nunc iacere è duro corpus iuuat impia saxo,
Sumere & in nostras trita venena manus.
Atque vtinam in primis animam me ponere cunis
Iussisset quæuis de tribus vna soror.

Satis jam à corruptelæ suspicione Propertium vindicauimus: nunc paucis de suscepta eius librorum interpretatione consilium nostrum aperiamus. In elogiis scribendis, celebrandísque amoribus, principem Propertium, & Plinius minor agnoscit, & consensus eru-

dictorum confirmat: nec me Fabij Quintiliani judicium mouet, qui Tibullum maximè probat; quia non diffitetur multos esse qui Propertium quàm Tibullum malint; quibus me adnumerari facilè patiar. Longè major enim & reconditior in Propertio doctrina, vis & spiritus acrior, validiores numeri, lectiora verba, crebriores sentẽtię: ea deniq; doloris sui exprimẽdi est inter vtrumq; dissimilitudo, vt Tibullum putes lacrymas, Propertium fundere sanguinem. Atque vt concedam esse illi quædam cum aliis communia; hoc omnino eius proprium est, quod in effingendis amantiũ animorúmque perturbationibus, voluptate, mœrore, cupiditate, metu, discordia, gratia, blanditiis, querelis, cæteri tantùm colores terunt: solus Propertius penicillo manum admouet, & ita lineas ducit, vt ipsum te spectare credas in Apellis tabula Cupidinem. Huius ergo tanti auctoris ἐρωτικὰ interpretari non cuiuslibet est hominis: quod vt ipse sum expertus ante annos viginti, cùm (pudet dicere, nec dissimulare possum) huic muneri me imparem tacitus sensi, & dolui: nec non hujus ætatis doctissimi viri, tantùm non vociferantur; qui etsi Propertium in oculis ferant, & in ore perpetuò habeant, nihilominus eum attigerunt veriùs quàm pertractarunt. Quare cùm

iterum idem aggredior, de me profitear oportet quod de se prædicat in Bacchidibus Plauti Chrysalus:

Insanum magnum molior negotium,
Vereorque possim recte vt emolirier.

Audebo, inquam, rursus onus tollere semel à me depositum: audaciam fortasse, vt est in vetere verbo, adjuuabit fortuna; & doctrinæ meæ, ingeniique tenuitati, subsidio venient, ad studia vestra propensa nostra voluntas, & qualiscúmque industria. Reliqua sunt perpauca de Propertio; *nam vulgata prætereo*: Cuius patrem à Cicerone significari suspicor in oratione pro domo sua; vbi ait L. Pisonem Sex. Aurelii Propertij nomen inter sicarios detulisse; nec ausum accusare calumniæ metu. Scripserat initio Propertius de amoribus suis librum singularem: vnde in codicibus manu exaratis, & in libris olim excusis, hæc legitur ἐπιγραφή, Sex. Aurelij Propertij Monobiblos. Librum secundum attexuit postea, vt his versibus declarat:

Tu loqueris, cùm sis jam toto fabula libro,
Et turpis de te jam liber alter erit.

Mox tertium adiunxit, quem amorum finem esse voluit, vt ex versibus intelligitur:

Sat sit magna, mei, si tres sint, pompa, libelli;
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.

Quartus autem liber, vnâ duntaxat, aut alterâ exceptâ elegiâ, alius est, & grauioris argumenti: de vrbis Romæ laudibus; Vertumni; Actij Apollinis; Herculis; Iouis Feretrij, ad imitationem Hymnorum Callimachi. Scripsisse quædam existimatur præter illa quæ extant, quia Fulgentius in libello *de prisco sermone*, laudat duo testimonia Propertij: vnum in Catillare:

Catillata geris vadimonia, publicum prostibulum;

Alterum in Diuidiæ:

Diuidias mentis conficit omnis amor.

Quod ad Cynthiam attinet, cras inde nostræ interpretationis ducemus initium.

IOAN. PASSERATII PRÆFAtio in Propertij librum secundum.



SATIS jam anno superiore de Propertio, & amatoriis eius scriptis disseruimus: rationibusque ac exemplis docuimus, nec metuẽdũ ab iis iuuentuti periculum, & multa inde speranda esse cõmoda studiis adolescẽtium. Vnum addam, quod nescio

quam in partem accepturi sint nimiùm seueri quidam censores, tristes patrui, & communis humanitatis penè hostes: Si quis cum amore & voluptate quid habeat commercij, nō ideò videri nuntium virtuti remisisse. Sunt enim φιλήδονοι plerúnque, φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, vt Caius ille Cassius aiebat, Romanæ libertatis vindex: ídque vir fortissimus, non solùm exitu suo comprobauit, sed etiam aureolâ magistri sui confirmauit sententiâ. οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως ζῆν, οὐδὲ φρονίμως, καὶ καλῶς, καὶ δικαίως, ἄνευ τοῦ ἡδέως. Quibus verbis negat iucūdè viui posse, nisi sapienter, honestè, iustéque viuatur: Et sapiētiæ, honestatis, ac iustitiæ vllum esse fructum, si à voluptate iucundáque vita seiunxeris. Verùm ista, vt dixi, satis iam disputata sunt. Itáque satius nunc est, quot & quantæ Veneres in Venere Propertij lateant, priùs ostendere, quàm ad libri secundi explicationem accedamus. Ordiemur autem à Simonidis melici voce meritò celebratissima: τὴν ζωγραφίαν ποίησιν εἶναι σιωπῶσαν, τὴν δὲ ποίησιν, ζωγραφίαν λαλοῦσαν. Vel, vt extulit Plutarchus: ζωγραφίαν μὲν, εἶναι φθεγγομένην τὴν ποίησιν· ποίησιν δὲ, σιγῶσαν τὴν ζωγραφίαν. Hinc auctor Rhetoricorum ad Herenniū in libro quarto: *Si poëma loquens, pictura est; pictura, tacitum poëma debet esse.* Et M.

Tullij in quinta disputatione Tusculana: *Traditum est, Homerum cæcum fuisse: At eius picturam, non poësin videmus.* Item Horatius in arte poëtica:

Vt pictura, poësis erit, quæ si propiùs stes,
Te capiet magis: & quædam, si longiùs abstes.

Mitto quæ Aristoteles, & eius doctor Plato, de vtriúsque artis cognatione literis mandarunt: tantùm dico, vt in oblectandis pascendísque oculis varietate rèrum, & naturæ ipsius imitatione, laus picturæ cernitur: sic in exprimendo multiplici animorum sensu, atque motu, poëticæ facultatis spectari præstantiam. Quod quoniam pigmentis quibusdam efficitur: & suos habet colores poëta, quos versuum lineamentis inducit, vt suauius gratiúsque carmen efflorescat: non pessimam à studiosis poëticæ inibo gratiam, si quo ex capite arcessita sint illa orationis lumina, & insignia, demonstraro: ac eorum pleráque indicaro, ex Homeri potissimum fonte deriuata, in hortulos Propertij fluxisse. Principatus verò in hoc genere translationi-

Translationes ἀπὸ ἐμψ. ἐπὶ ἐμψ. bus tribuitur; quæ cùm sint veluti mutuationes ac migrationes verborum in alienum domicilium; quatuor è locis ducuntur: Ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἔμψυχα. vt Homero dicitur ἡνίοχος νηὸς, ἀντὶ τοῦ ναύτης: auriga nauis, pro gubernatore. Ex quo ad Mœcenatis laudem Propertius transtulit:

Velorum plenos subtrahis ipse sinus:

videlicet à moderatione cursus, ad animi & secundæ fortunæ moderationem. ἀπὸ ἐμψ. ἐπὶ ἀψ. Ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἄψυχα, vt κορυφὴ ὄρεος, ἀντὶ τοῦ ἀκρώρεια: vertex pro cacumine Propertius:

Hic erat Arganthi Pegæ sub vertice montis.

νήσου στέφανος, quasi corona insulæ, quòd aquis vndique cingatur. Sic coronare, pro cingere Propertius:

Fixáque congesta castra coronat humo.

ἀπὸ ἀψ. ἐπὶ ἐμψ. Ἀπὸ ἀψύχων ἐπὶ ἔμψυχα: vt σιδήρειον ἦτορ: cor ferreum, pro ingenio durissimo, Propertius:

Illa tamen nunquam ferrea dixit: amo.

puella ferrea, sæuissima. Ἀπὸ ἀψύχων ἐπὶ ἄψυχα: vt σπέρμα πυρός. quod ad curas Propertius traduxit: ἀπὸ ἀψ. ἐπὶ ἀψ.

Semina curarum de capite orta tuo.

Minùs tamen ab Homero recessit Virgilius: *quærit pars semina flammæ.* Nonnunquam Homero intelligitur ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον: vt φίλη κεφαλὴ, λέγεται ἀντὶ τοῦ ἀνήρ. *ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον.* Propertius:

Et sumpta, & posita pace, fidele caput.

Nec te, dulce caput, mater Scribonia, læsi.

Ponit etiam Homerus id quod sequitur, pro eo quod præcedit: vt σκυλεύειν, ἀντὶ τοῦ φονεύειν: spoliare, pro occidere. Propertius: *Id quod sequitur, pro eo quod præcedit.*

Dixerat, & spolium corruit ille Ioui.

Corruit spolium; occisus, vt mox ab hoste spoliaretur. Iam μετωνυμία Homero frequens, vt Α῎ρης, ἀντὶ τοῦ πόλεμος. Propertius: *Metonymia.*

Nullus & antiquo Marte triumphus auis.

Crebra quoque ἀντωνομασία, vt Ἀτρείδης, Πηλείδης, Τριτογένεια. pro Agamemnone, Achille, Minerua. Sic Propertio Iasis, pro Atalanta: pro Tyro, Salmonis: pro Neptuno, Deus Tænarius. μείωσις, καὶ ἐλάττωσις Homero familiaris est: vt, οὐδὲ γήθησεν Ἀχιλλεὺς, minimè lætatus est: pro, valde indoluit. Propertius: *Antonomasia.* *μείωσις.*

Cùm de me, & de te, compita nulla tacent:

pro, nihil aliud loquuntur: &, amor noster per vrbē solus sermo est omnibus. Ornat Homeri versus ἔμφασις: vt πᾶν δ' ὑπεθερμάνθη ξίφος αἵματι. totus incaluit gladius sanguine: Propertius,

Emphasis.

Denique quis nostro curuum te funere vidit?

Atram quis lachrymis incaluisse togam?

Non rarò aliqua vox in Homeri versu abundat; vt δίχα πάντα τάλαντα. vbi τὸ πάντα, πλεονάζει Propertius:

Pleonasmus

Tantus erat demens inter vtrúmque furor.

O noctem meminisse mihi jucunda voluptas!

vbi superuacaneæ voces, demens & jucunda: cùm nullus furor, dementia: & nulla voluptas, jucunditate careat. Laudatur Homerica περίφρασις, βίη Ἡρακλείη, vis Herculea, pro forti Hercule. Propertius:

Periphrasis.

Nec si cælestem flagrans amor Herculis Heben.

amor Herculis, Hercules amans.

Quæ miser ignotis error perpessus in oris

Herculis.

Error Herculis, Hercules vagus. Illustrant Homeri ſcripta, παλιλογία, ἐπανάληψις, ἀναδίπλωσις, ἐπαναφορὰ, καὶ ἐπάνοδος· quarum exornationum vnum duntaxat exemplum ab Homero petam: plura è Propertio. Homerus, *Palilogia.*

Τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν,
Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Item:

Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν ἄγει τρεῖς νῆας ἐΐσας.
Νιρεὺς Ἀγλαΐης υἱὸς, Χαρόποιο τ' ἄνακτος.
Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν.

Dici vix poteſt quantum iis verbis, geminatis, iteratis, & commutatis, Propertius delectetur. Geminat verba; vt *Geminata verba.*

Non non humani ſunt partus talia dona.

Iterat autem verba multis modis. Nunc initio verſuum: vt *Iterata verba.*

Sic licet & ſaxo patientior illa Sicano:
Sit licet & ferro durior, & chalybe.
Oſcula ſuſpenſis inſtabant carpere palmis,
Oſcula & alterna ferre ſupina fuga.

Nunc in eiúſdem verſus principio & medio: vt

Magni ſæpe duces, magni cecidere Tyranni.
Non hæc Calliope, non hæc mihi cantat Apollo.

Nunc in eiusdem versus principio & fine : vt,

Quid fles abducta grauius Briseïde? quid fles?
Cæsaris hæc virtus, & gloria Cæsaris hæc est.

Aut verbum, quod penultimum est in priore versu, primum in posteriore collocatur : vt,

Donec diuersas percurrens Luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus.
Omniáque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono sæpe voluta sinu.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen:
Gloria ad hybernos lata Borysthenidas.

Aut iteratur in prioris versus medio, & posterioris initio : vt,

Commutatio.

Interea nobis nonnunquam ianua mollis:
Nonnunquam lecti copia facta tui.

fit etiam iteratio conuerso verborum ordine : vt

Vxor me nunquam, nunquam me ducet amica:
Semper amica mihi, semper & vxor eris.

Aut vna cum verborum ordine casus variantur : vt,

Siue illam Hesperiis, siue illā ostendet Eoïs:

Vret

Vret & Eoos, vret & Hesperios.

Vel mutantur simul tempora verborum, & gradus nominum: vt

Quamuis magna daret, quamuis majora daturus.

In ejusmodi autem commutatione & iteratione vocum; aut paria paribus: aut dissimilia dissimilibus: aut contraria contrariis referuntur. Paria paribus: vt

Cùm tibi nec frater, nec sit tibi filius vllus,
Frater ego, & tibi sim filius vnus ego.
Tu mihi sola places, placeam tibi, Cynthia solus.

Dissimilia dissimilibus: vt

Maxima præda tibi; maxima cura mihi.
Cynthia forma potens, Cynthia verba leuis.

Contraria contrarijs: vt,

Sine eâ caussa grauis, siue ea caussa leuis.
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.
Huius ero viuus, mortuus hujus ero.

Similiter desinentia, & Similiter cadentia, quæ ὁμοιοτέλευτα, καὶ ὁμοιόπτωτα vocant, persequi singula longum esset: nunc vno simus exemplo contenti, Homerus: *Similiter desinentia & cadentia*

χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.

Propertius:

Osculáque opposito dicat sibi debita vento;

Et nihil infido durius esse viro.

Ἔλλειψις Nec ἔλλειψις quidem inuenusta est, cùm verbum aliquod abest, potiùs quàm deest sententiæ. Homerus:

Ἦ μοι ἄχος μεγαλήτορος Αἰνείαο.

Λείπει γὰρ τὸ πάρεστιν, ἢ συμβέβηκεν.

Propertius:

Te nihil in vita nobis acceptius vnquam,
Nunc quoque eris. ---

à verbo eris, abest, *acceptissima.*

Tú ne igitur demens? nec te mea cura moratur.

subaudiendum, abire paras, aut quid simile. Solet Homerus χρῆσθαι τοῖς ἀρσενικοῖς ἀντὶ τῶν θηλυκῶν: vt κλυτὸς ἱπποδάμεια, ἀντὶ τοῦ κλυτή. (ἀρσενικὰ ἀντὶ τῶν θηλυκῶν.)

Propertius:

Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis,
Thessalis antiquâ venerat vmbra domum.

Vmbra Cupidûs, pro Cupidi amantis Prothesilai. Nominandi casum, pro vocandi casu: nō semel Homerus vsurpat: vt (Nominatiuus pro vocatiuo.)

Δὸς φίλος, οὐ γάρ μοι δοκέεις ὁ κάκιστος Ἀχαιῶν. φίλος ἀντὶ τοῦ φίλε. Propertius:

--- tu criminis auctor,
Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.

Romule nutritus, pro *nutrite.* Idem facit in permutando comparationis gradu. (Comparationis gradus mutatio.)

Σαώτερος ὥς κε νέηαι, ἀντὶ τοῦ σῶος.

Propertius:

Supplicis à longis tristior excubijs:

tristior, pro *tristis.*

Turpior & sacli viuere luxuria:

Turpior, pro *turpis.* Inuenitur sæpenumero apud Homerum ῥῆμα τὸ ἐνεργητικὸν, ἀντὶ τοῦ παθητικοῦ: vt ῥῆμα ἐνεργητικὸν ἀντὶ τοῦ παθητικοῦ.

Δωρήσω τρίποδα χρυσούατον, ἀντὶ τοῦ δωρήσωμαι. Propertius:

Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus vndæ:

variant, pro *variantur.*

Percussas domina vertat in auriculas;

pro *vertatur.*

At tu seu mollis quà tendit Ionia.

tendit, pro *tenditur, & porrigitur*: Nusquam non occurrit apud Homerum numerorum aut temporum enallage. Numerorum, vt Enallage numerorum.

Τῶν ἀμόθεν γε θεὰ θύγατερ Διὸς εἰπὲ, καὶ ἡμῖν, ἀντὶ τοῦ ἐμοί.

Propertius:

--- non hæc mihi cantat Apollo.

Ingenium nobis ipsa puella facit.

Quid mihi desidiæ non cessas fingere crimen,

Quod faciat nobis conscia Roma moram?

vtrobique mihi, & nobis, promiſcua. Porrò enallage perſonarum lepidiſſimum continet εἶδος ἀποστροφῆς, vt

Enallage perſonarum.

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη.

ἀντὶ τοῦ, οὐκ ἄν τις γνοίη. Neſcires vtris Diomedes adeſſet: pro quiuis neſciret.

Propertius:

Tranquillo tuta deſcendis flumine cymba.

Deſcendis, pro quiuis deſcendere poteſt. Et

Nónne putas miras hunc habuiſſe manus?

Allocutio ſui. putas, pro quiuis putat. Cui ſchemati etiam ineſt feſtiuiſſima ſui allocutio: vt

Qui nullum tibi dicebas iam poſſe nocere,
Haſiſti; cecidit ſpiritus ille tuus.
Surge anima ex humili iam carmine,---
Sic igitur prima moriere ætate, Properti?
Sed morere, interitu gaudeat illa tuo.

Apoſtrophe ad muta. Animos legentium haud minùs permouet, cùm ad res mutas ſermonem conuertit Propertius:

Ianua, vel dominâ penitus crudelior ipsâ,
Quid mihi tam duris clauſa taces foribus?
Vos eritis teſtes, ſi quos habet arbor amores,
Fagus, & Arcadio pinus amata deo.
Ignes caſtrorum, & Tatiæ pratoria turmæ;
Et formoſa oculis arma Sabina meis:

O utinam ad vestros sedeam captiua penates!
Ergo sollicitæ tu caussa pecunia vitæ es!
At tu, sæue Aquilo, nunquam mea vela videbis.

Distinguit Homericum poëma εἰκὼν, ὁμοίωσις, καὶ παραβολὴ, vt
Ἡ δ' ἴεν ἐκ θαλάμοιο περίφρων Πηνελόπεια,
Ἀρτέμιδι ἰκέλη, ἠὲ χρυσῇ Ἀφροδίτῃ.

Propertius:

Fulua coma est, longaque manus; & maxima toto
Corpore, & incedit vel Ioue digna soror.
Aut cùm Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferæ pectus operta comis. Hyperbole.

Veritatis traiectio & superlatio est in hoc Homeri versu, Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. id est, Virgilio interprete:
Qui candore niues anteirent, cursibus auras.

Propertius:

Lilia non dominæ sint magis alba meæ.
Aut Mæotica nix, minio si certet Ibero;
Vtque rosæ puro lacte natant folia.

Per ἀλληγορίαν, siue inuersionem, ait Homerus: Allegoria.
Νῦν μὲν δὴ μάλα πάγχυ, μελάνθιε, νύκτα φυλάξεις,
Εὐνῇ ἔνι μαλακῇ καταλέγμενος, ὡς ἐπέοικεν.

Vbi aliud loquitur, aliud sentit. Propertius:

Iam tempus lustrare aliis Helicona choreis:
Et campum Aemonio iam dare tempus equo:
Nunc ad te mea lux veniet, mea littora, nauis
Seruata? an mediis sidet onusta vadis?

Paroemia Allegorica. Multæ sunt apud Homerum allegoricæ parœmiæ; quibus, quoniam diligenter ab aliis collectæ sunt, supersedebo: pauculas è Propertio proferam. Est hæc omnino prouerbialis allegoria, reuocare lapsum, de admonitione stulta, & præpostera. Propertius:

At vos qui serò lapsum reuocatis amici:

Vt dare cineri medicinam, de sero, & inutili auxilio.

Atque vtinam non tam serò mihi nota fuisset
Conditio, cineri nunc medicina datur.

Quemadmodum de frustra sumpta opera & malè collocata:

Ludet, qui sterili semina ponit humo.

Enumerare mihi liceret id genus sexcenta dicendi ornamenta, quæ Propertio sunt cum Homero communia: sed enumeratio illa vix esset solidi & æstiui diei, nedum exigui huius spatij, horæ curriculo

circumſcripti. Vna eſt προσωποποιΐα, & ficta perſonæ inductio, quam nequeo ſine piaculo præterire: Et vereor tamen, ne, vt ait Plautus, in me obuertat cornua. Excitabit enim fortaſſe ipſum à campis Elyſijs, myrteáque ſylua, Propertium, qui me his ſuis objurget verſibus, quòd ſe cum Homero compoſuerim: Proſopopœia.

Quid tibi cũ tali demens eſt carmine? quis te
Carminis heroï tangere iuſſit opus?

Exiſtet etiam fortaſſe aliquis, qui me non potiùs Callimachi ac Philetæ, quàm Homeri, feciſſe imitatorem Propertium, miretur: & ſimilitudinem in re tam diſſimili quæſiuiſſe. Reſpondebo ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς, méque tuebor Thorauij mangonis exemplo. Is (dicam verbis Plinij, quò dicam melius) M. Antonio iam Triumuiro, eximia forma pueros, alterum in Aſia genitum, alterum trans Alpes, vt geminos, vendidit: tanta vnitas erat. Poſtquam deinde ſermone puerorum detecta fraude, à furente increpitus eſt Antonio, inter alia magnitudinem pretij conquerente: nam ducentis mercatus erat ſeſtertiis: reſpondit verſutus ingenij mango, ob idipſum ſe tanti vendi-

disse: quoniam non esset mira similitudo in vllis eodem vtero editis: diuersarum quidem gentium natales tam concordi figura reperiri, supra omnem esse taxationem. Adeóque tempestiuam admirationem intulit, vt ille proscriptor animus modò, & contumelia furens, non aliud in censu magis, & fortuna sua duceret. Sic ego admiranti hanc Homeri & Propertij comparationem referre possim: nihil me noui facturum fuisse, si Callimachum & Propertium inter se contendissem; & vt fratres, aut Venerios nepotulos, similes esse ostendissem. At quod elegiographorum principem Propertium, cum Homero Epicorum coryphæo contulerim, illam in dissimili genere similitudinem vobis plus voluptatis attulisse. Neque verò periculum est, ne mihi Propertius succenseat, quasi non & libens, & solens, Homerum imitetur. Quod si vel callidè dissimulat, vel improbè negat, aut hominem stellionatus damnabo, aut furti manifesti conuincam. Et ecce rem vobis auctorem dabo. In elegia septima libri quarti, est insignis conformatio, quam ex Homero sumtam esse cui non persuadebitur, idem vix adducetur vt credat, meridie lucere. Apud Homerum igitur Ιλ. χ', Patrocli vmbra in somnis Achilli apparet, & alloquitur; eáque euanescente, Achilles exclamat:

Ὢ πόποι, ἦ ῥά τίς ἐστι καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι
Ψυχὴ καὶ εἴδωλον.

Est aliqua, est certè Plutonis in ædibus vmbra.

Inde Propertius elegiæ duxit initium:

Sunt aliquid manes: letum non omnia finit.

Pergit apud Homerum Achilles:

Ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Πατροκλῆος δειλοῖο,
Πάντ' αὐτῷ μέγεθός τε, καὶ ὄμματα καλὰ εἰκυῖα,
Καὶ φωνὴν, καὶ τοῖα περὶ χροῒ εἵματα ἕστο.

quæ verti, & metuo ne peruerterim:

Ad me infelicis Patrocli venit imago,
Omnia persimilis, membra ardua, lumina pulchra,
Vocémque, & tales gestabat corpore vestes.

Propertius:

Cynthia námque meo visa est incumbere fulcro,
Murmur ad extremæ nuper humata viæ.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.

Cum Achille Patroclus hic verbis expostulat:

Εὕδεις· αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ Ἀχιλλεῦ;

Dormisne? ésne mei dilecte oblitus Achille?

Haud leuior de Propertio querela Cynthiæ:

Perfide, nec cuiquam melior sperande puellæ,
In te iam vires somnus habere potest?

Notum est vt, Iride internuntia, vocati ab Achille venti, ei morem gesserint, pyrámque

cui Patrocli cadauer impositum erat, flatu suo accenderint. Quò pertinent Cynthiæ verba:

Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petîsti?

Ait Achilli Patroclus:

Ὣς δὲ καὶ ὀστέα νῶϊν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι.

Sic etiam nobis lapis idem contegat ossa. Mecum eris, inquit Cynthia Propertio, *& mixtis ossibus ossa terã.* Narratũ ad extremũ, Homerus:

Ὣς ἄρα φωνήσας ὠρέξατο χερσὶ φίλῃσιν,
Οὐδ' ἔλαβεν. ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς, ἠΰτε καπνὸς
Ὤχετο τετριγυῖα.

Sic fatus, caráſque manus protendit Achilles:
Nec pote complecti: querulo nã murmure fugit,
Sub terras vmbra, vt fumus. ---

Hæc Propertius in vnum versiculum conjecit: qui & vtrique somnio, & nostræ simul orationi, finem faciet:

Inter complexus excidit vmbra meos.

IOAN. PASSERATII AMORIS & Fortunæ inter se comparatio in eund. lib. 2.

POST longam huius muneris vacationem, & morbo datam, & rerum prolatarum silentio concessam, jam redire tempus est ad id negotium, à quo inuiti ad molestum otium pridem diuertimus. Digressi autem sumus ab elegia Propertij,

quæ eſt *octaua libri ſecundi*, cùm ad ventum eſſet ſententiam;

Omnia vertuntur: certè vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis: hæc in amore rota eſt.

Cujus ſententiæ quoniam duplex eſt ratio: vna, de viciſſitudine, & conuerſione omnium rerum: Altera, quæ magnam Amoris & Fortunæ cognationem oſtendit: de priore, poſteriùs, quàm breuiſſimè: & de poſteriore priùs, Homerica conſuetudine, diſſeremus. Atque, vt ab auctoritate teſtimonióque Pauſaniæ proficiſcamur, Ægeiræ, quod oppidum Achaïæ non ignobile fuit, in ædicula quadam, is ſe vidiſſe teſtatur Fortunæ ſignum, cui pinnatus adſiſteret Cupido: ídque interpretatur, arctiorem Amoris & Fortunæ conjunctionem, ac neceſſitudinem. Eodémque probari putat argumento, plus interdum in Amore poſſe Fortunam, quàm vllam venuſtatem corporis, aut formæ præſtantiam. Neque ſanè multum à mente Pauſaniæ Propertius abludit, his verſibus:

Me ſine, quem ſemper voluit fortuna jacere,
Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.

Et alio loco:

Vnicuíque dedit vitium natura creato:
Mi fortuna aliquid ſemper amare dedit:

Vt enim Amorem præſto eſſe naſcentibus ſibi

persuadebant, qua ex opinione scripsit hic noster:

Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus,
Aridus argutum sternuit omen amor?

Sic vnà cum amore fortunam inter deos Præstites numerabant Ægyptij, quos adesse quatuor homini, simul ac in lucem editus esset, existimabant, δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην. Quò fortasse referendum est illud summi Oratoris, in oratione de parricidio: *Si tibi fortuna non dedit, vt patre certo nascerere*: & quæ sequuntur. Fortuna nunc cæca perhibetur, nunc videns, vt in Ciceronis Lælio: *Non solùm ipsa fortuna cæca est, sed eos etiam plerúmque cæcos efficit quos cõplexa est.* Et in Philippica decimatertia: *Quis hoc vestrûm non videt, quod ipsa Fortuna: quæ dicitur cæca, vidit?* Fortunæ quoque respicientis, *in libro secundo legum*: vt Fortunæ videntis, L. Apuleius *in libro Milesiarum vndecimo*: *In tutelam receptus es fortunæ, sed videntis: quæ lucis suæ splendore cæteros deos illuminat.* Cæcum esse Amorem, & Plato, & Poëtæ ferè omnes prodiderunt. Theocritus:

--- τυφλὸς δ' οὐχ αὐτὸς ὁ Πλοῦτος,
Ἀλλὰ καὶ ἀφρόντιστος ἔρως. ---

Non solus captus est oculis Plutus, sed & Amor, qui plenus amentiæ. Propertius:

Ante pedes cæcis lucebat semita nobis,

Scilicet insano nemo in amore videt.

Contrà sæpe oculatus est, imò totus oculeus Amor: si quidem dictus à Græcis ὀμμάτειος, vt Hesychius docet; eiúsque oculi acres, & flammei, à Moscho describuntur, in Idyllio,

Ἔρως δραπέτης, ὄμματα δ' αὐτοῦ
Δριμύλα, καὶ φλογόεντα. ---

Τύχη κωφή ἐστιν, ait Cebes Thebanus; Surda est Fortuna: Et Amor surdus, præsertim turpis. Propertius:

Turpis amor surdis auribus esse solet.

Τύχην μαινομένην vocat idem Cebes: & Fortunam insanam Pacuuius. Quid Amore insanius? quid tam à ratione auersum, & consilio inimicũ? In Satyra Flacci, Nomentanus exclamat:

Heu fortuna, quis est crudelior in nos
Te deus? ---

In Virgilij Pharmaceutria Pastor:

Sæuus Amor, inquit, *docuit natorum sanguine matres*
Commaculare manus, crudelis tu quoq; mater:
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer: crudelis tu quoque mater.

Itaque in Cistellaria Plauti Alcesimarchus, amorem ait primum inter homines commentum esse carnificinam:

Fortuna sæuo læta negotio: &
Ludum insolentem ludere pertinax.

Veneri & Amori nihilo clementius ingenium:

--- queis placet impareis
Formas atque animos sub iuga ahenea
Saeuo mittere cum ioco.

Pingi fingique volucrem Cupidinem nemo nescit. Et alas fortunæ simulacro addi solitas monet Eusebius;nec obscurè innuit Horatius:

Laudo manentem,(de fortuna loquitur,)*si celeres quatit*
Pennas, resigno quæ dedit.

Extitere qui Amori quasi pennas vellerent, & adimerent alas: in quibus Eubulus comicus:

Τίς ἦν ὁ γράψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα·
Ἢ κηροπλαστήσας ἔρωθ' ὑπόπτερον;
Ὡς οὐδὲν ᾔδει πλὴν χελιδόνας γράφειν·

Quicumque primus, *inquit*, vel cælo, vel penicillo, aligerum Amorem expressit, vt nihil ille norat pingere præter hirundines? móxque rationem subijcit: Βαρὺς δὲ κομιδῇ, πῶς ἂν οὗ ἔχοι πτερά. Cùm tam lentus, ac tardus sit, quónam pacto, aut quem ad vsum, alas habeat? Quin & apud Virgilium in libro Æneïdos primo:

Paret amor dictis caræ genitricis, & alas Exuit.

Si qua fides habenda Plutarcho, *in libello de fortuna populi Romani*; Tiberim trajectura, & vrbem Romam ingressura Fortuna, fertur alas posuisse,vt significaret,se illic velle perpetuò manere. Notæ sunt Amoris sagittæ. Nec

ignota fortunæ tela, de quibus M. Tullius in epistola qua Titium consolatur: *Homines nos esse meminerimus, ea lege natos vt omnibus fortunæ telis proposita sit vita nostra.* Et in libro primo de Officijs: *quo minùs multa patent in eorum vita, quæ fortuna feriat.* Et in Academicis quæstionibus: *Fortunæ grauissimo percussus vulnere.* Ausonius in Parentalibus:

Expertus fortis tela cauenda deæ.

Aliquando, pro arcu & sagittis, fulmen Amori tribuitur: quo modo pictum aiunt in Alcibiadis clypeo fuisse; atque pictum etiam in Octauiæ scholis ait Plinius: *Trisulcum id Iouis telum fortuna vibrat*; vt in secundo Ciceronis disputatione Tusculana: *Non solùm stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunæ contemnamus.* Facem Amori tribuũt poëtæ. De Fortuna dixit Plautus, in Persa: *Nequaquã fortuna tibi faculã lucrificã allucere vult.* Ἔρως θεῶν καὶ ἀνθρώπων τύραννον ab Euripide vocatur, & ab aliis poëtis: quoniam *Omnia vincit Amor.* Propertius:

Hic deus & terras, & maria alta domat.

Menander:

Δέσποιν' ἔρωτος οὐδὲν ἰσχύει πλέον,
Οὐδ' αὐτὸς ὁ κρατῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν
Ζεὺς, ἀλλ' ἐκείνῳ πάντ' ἀναγκασθεὶς ποιεῖ.

Amore nihil valentius: ne ipse quidem qui in cælo diis imperat Iuppiter: sed eo cogente

nihil nō facit. Omnia esse in fortunæ potestate, vel Philosophi de meliore nota confitentur, vt Theophrastus, cuiꝰ ore nobilitatus hic senarius:

Τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία.

Vitam regit fortuna, non sapientia. Ea de caussa in antiquis statuis, ac numis, fortuna cum gubernaculo cernitur: vocatúrque à Lucretio gubernans, & Omnipotens à Virgilio. Lucretius:

Quod procul à nobis flectat fortuna gubernans.

Virgilius:

Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum,
His posuere locis. ---

Tam ignota est Fortunæ, quàm Nili origo: quid illa, & vnde, sapientum scholæ inter se diuersæ certant, & adhuc sub iudice lis est. Adeò est obscurum Amoris genus, & tenebricosi natales, vt vnà cum Chao, vel statim ex Chao natum tradant Orpheus & Hesiodus. Anceps & lubrica Fortuna. Nihil est facilius quàm in Amorem labi, & præcipitem ferri. Beatos aut miseros fortuna reddit; ex quo fortunati, aut infortunati vulgò appellantur. Felices vel infelices Amor efficit. Tibullus:

Ah miseri, quos hic grauiter deus vrget; at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor.

Pellax, & tenax est fortuna: trahit ad se cuncta, tenétque quicquid adhæserit; ex quo à Græcis dicta est ἰξευτηρία, & à Latinis fortuna visca-

ta.

ta. Amoris blanditiis amantes, vt visco aues, capiuntur. Hinc adolescens Pistoclerus, in Bacchidibus Plauti, sic ipsas Bacchides affatur:

Viscus merus vestra est blanditia.

Quid ita? quia duæ vnum expetitis palumbem.

Et Philoxenus senex in eadem Comœdia:

Tactus sum vehementer visco; quid multa?
ego amo.

Fortuna immoderata, in bono æquè atque in malo: inquit ille, ex equite Romano, Mimus; & ex Mimo, fortunæ beneficio, Senator factus. Moderati nihil est ab Amore expectandum: *quis enim modus adsit amori?* In sua tantùm inconstantia constans fortuna reperitur. Amor, in eo solùm inuenitur grauis, quòd à leuitate sua nusquã discedit. Amor odit inertes, *fortibus est fortuna viris data*; vt in septimo Annali ait Ennius, & Tibullus:

Audentes forsque Venúsque iuuat.

Fortunam & bonam & malam antiqui venerati sunt: fuítque vtriúsque templum Romæ. Amorem bonum & malum, dulcem & amatum, sentiunt qui amant. Propertius:

Quin ego diminuo curam, quòd sæpe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

Virgilius:

Et vitulâ tu dignus, & hic: & quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.

Plautus in Pseudolo:

Dulce atque amarum vnà nunc misces mihi.

Et in Mostellaria:

Nam ecastor Amor & melle & felle est fœcundissimus:

Gustu qui dat dulce, amarum vsque ad satietatem oggerit.

Catullus:

Multa satis lusi: non est dea nescia nostri:

Quæ dulcem curis miscet amaritiem.

Inde Græci ἔρωτα γλυκύπικρον dixerunt; vel ὀξύγλυκυν· quod eleganter Latino verbo redditur Dulcacidum *in prisco glossario*. Fortuna nuncupata est Aurea, quæ in cubiculis Cæsarum haberi, & Imperatore ipso morituro præsente, ad successorem transferri consueuerat. Aureæ Veneris aureus est filius. Ouidius:

Nec mora, mouit Amor gemmatas aureus alas.

Rarò simul hominibus bonam fortunam, & bonā mentem dari, ait apud Liuiū Asdrubal;

Amare, & sapere, vix deo conceditur,

vt ait P. Syrus. Cui adfine est illud eiusdem mimographi:

Fortuna, nimium quem fouet, stultum facit.

Malè geritur inquit idem Syrus, *quicquid geritur fortunæ fide.* Qui volet in fraudem induci, se suáque Amori committat; cuius, vt Moschus ait:

Νόος ἐστὶν ἀνάμερος, ἠπεροπευτάς·
Οὐδὲν ἀλαθεύων, δόλιον βρέφος·

mens immitis & fraudulenta, nihil veri loquitur: dolosus est puer. Multæ hominum de fortuna querelæ: quibus si quid aduersi, quamuis meritò, euenit: id immerenti fortunæ imputant, vt M. Tullius in epistola quadam ad C. Cassium: *Horum malorum omnium culpam fortuna sustinet.* Quò valdè pertinent Plinij verba, capite septimo libri secundi: *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibúsque horis, fortuna sola inuocatur: vna nominatur, vna accusatur, vna agitur reà, sola laudatur, sola arguitur, nec sine conuicijs colitur.* Quicquid amantes libidine sua & intemperantia peccant, id omne adscribunt Amori. Tibul.

Non ego te læsi prudens, ignosce fatenti,
Iussit Amor: contra quis ferat arma deos?

Propertius:

Vna contentum pudeat me viuere amica:
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit.

Mitto quæ loquitur in Aulularia Plautinus Euclio: neque tamen præterire possum quod scribit poëta Consularis, in ecloga, cuius lemma est, Cupido cruci adfixus:

Reus est sine crimine, iudice nullo,
Accusatus Amor: se quísque absoluere gestit,
Transferat vt proprias aliena in crimina culpas.

Ridiculum morem! nec dissimilem veteris Atheniensium instituti: apud quos cùm nefas esset mactare bouem, & eam tamen victimam certa sacra postularent: sacerdos, is qui βουφόνος appellatus est, percusso boue, abiectâque illicò securi, vbi se in pedes coniecerat, securis ipsa vocabatur in iudicium: & causam capitis dicere iubebatur, vt commemorat in Atticis Pausanias. De fortuna scribit Horatius:

Te semper anteit sæua necessitas,
Clauos trabales, & cuneos manu
Gestans ahena: nec seuerus
Vncus abest, liquidúmve plumbum.

Ea supellex non desideratur in Amoris instrumento. De Amoris clauo, Plautus in Asinaria: *Fixus hîc apud nos est animus tuus clauo Cupidinis.* De plumbo, in libro primo Metamorphoseων Ouid. vbi agit de duplici amoris telo.

--- fugat hoc, facit illud amorem:
Quod facit, auratum est, & cuspide fulget acuta:
Quod fugat, obtusum est, & habet sub arundine plumbum.

De vnco Propertius:

Et benè cùm fixum mento discusseris vncum,
Nil erit hoc; rostro te premet ansa suo.

In eodem Horatij carmine ad Fortunam:

Te spes, & albo rara fides colit

Velata panno.

In Amoris castris spes quidem frequens, nempe sine qua nomen ipsum Amoris interiret: sed rara fides, siue potiùs nulla. Propertius:

Expertus dico, nemo est in amore fidelis.

Amor admitti fenestra gaudet; ídque nequitiæ magister in Arte amandi præcepit:

Cùm meliùs foribus possis, admitte fenestra;

nec inficiatur Cynthia se hoc astu meretricio ductasse Propertium:

Et mea nocturnis trita fenestra dolis,
Per quam demisso quoties tibi fune pependi.

Lepida est apud Plutarchum, ἐν Ῥωμαϊκοῖς, narratiuncula, de Fortuna noctu ad regem Seruium Tullium, quem perditè amabat, per fenestram commeante: quod Ouidius paucis versibus cõplexus est, in libro sexto Fastorum:

Tum Dea furtiuos timidè profitetur amores,
Cælestémque homini concubuisse pudet.
Arsit enim magni correpta cupidine Regis,
Cæcáque in hoc vno non fuit illa viro.
Nocte domum parua solita est intrare fenestra:
Vnde fenestella nomina porta tenet.

Liceat, si libeat, trecenta id genus percensere, quęsũt Amori & Fortunæ inter se cõmunia: sed ne singula persequendo longiùs, quàm statui, progrediar, extremum hoc erit. Ob tantam omnibus penè in rebus, Fortunæ & Amoris

ſimilitudinem, conſentaneũ videri, vt Pſychæ neſcio cui clauibus ex lege duodecim tabularum ademptis, eáque domo exacta, fortunam Amor vxorem ducat: verúmque fiat Homericum prouerbium, ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον. Quòd ſi quid litium & turbarum, in eo matrimonio, vt in nullo non ſolet, orietur, vtérque iure iſtos hendecaſyllabos audiet,

Cùm ſitis ſimiles, paréſque vita:
Vxor peſſima, peſſimus maritus:
Miror non bene conuenire vobis.

Nunc reliquum eſt vt illud alterum percurram, quod ordine prius, tractatione poſterius feci, de Amoris & fortunæ rota: hoc eſt de viciſſitudine rerum, præcipuè in Amore: cuius æmulum meminiſſe iubet Parmeno Terentianus in Eunucho:

Hoc nunc dices, eiectos hinc nos,
Omnium rerum, heus, viciſsitudo eſt!

Propertius:

Iſte quod eſt ego ſæpe fui: ſed forſis, in hora,
Hoc ipſo eiecto carior alter erit.

Id autem τροπικῶς in hac elegia dixit:

Vinceris, aut vincis: hac in amore rota eſt.

Eius rotæ riualem admonet Tibullus:

At tu qui potior nunc es, mea fata caueto,
Verſatur celeri fors leuis orbe rota.

Horatius verò ad aliud rotæ genus traduxit eandem sententiam:

Ingratam Veneri pone superbiam,
Ne currente retrò funis eat rota.

Est tertium rotæ genus, longè ab vtróque diuersum, quo non ad vicissitudinem, sed ad cruciatum Amor vtitur. Plautus in Cistellaria, *iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in Amoris rota miser.* Alludit enim ad pœnam & rotam Ixionis, vel ipso interprete Propertio:

Tum magis Armenias cupias accedere tigres,
Et magis infernæ vincula nosse rotæ,
Quàm pueri toties arcum sentire medullis.

Magnus hîc Rhetorum campus, in quo, vel indiserti, liberiùs vagetur, & exultet oratio: de varietate fortunæ: de commutatione tempestatum, & elementorum: de dierũ & noctium, otij & negotij, vigiliæ & somni, laboris & quietis, doloris & voluptatis vicissitudine: de orbium deníque cælestiũ rerúmque & publicarum, & priuatarum cõuersione: quibus omissis, vnam tãtùm fabellam vobis referam, quam mihi quondam ægrotanti narrauit anicula. Venatum olim profecti, parum fauente Diana, lupus & vulpes, cùm ad solis occasum campis syluísque peragratis, nihil cepissent, nec quicquam esset prædæ prædatoribus: famelici, & ad famelicos catulos, per hortum quen-

dam remeantes, puteum præteribant. In quem despiciens vulpes, & ingentem in aqua visa videre caseum; nam

Nox erat, & cælo fulgebat Luna sereno:

eò, stimulante inedia, se per situlam demisit. Postquàm agnouit errorē suū, & se deceptam *radiantis imagine lunæ*: vulpinæ fraudis, & ingenij sui non oblita in tanto discrimine, statim rationem inijt, qua & sibi exitū & lupo exitiū crearet. Illo igitur vocato, heus tu, inquit, maior est hic caseus, quàm vt sola valeā extrahere. Proin facito vt alteri situlæ insidēs huc venias, in partē oneris simul & prædæ. Vix ea Vulpes, & iam lupus esuriens erat in situla: quæ grauiore imposito pondere deorsum ferri cepit, & eadem opera Vulpes sursum redire. Sensit tum stolidus lupus dolum, & verbis illis quibus inter se loquuntur belluæ, Vulpis perfidiam accusabat, & jus societatis violatum querebatur. Cui ridens vulpes: Neque mirum est, si grauia deorsum tendunt: neque iniquum, si pessimi pessum eant. An, stulte, nescis ita naturâ comparatum esse vt hic descendat, ascendat ille? alia tollantur,, alia deprimantur?

---- Sic fata deûm rex

Sortitur, voluitque vices: hic vertitur ordo.

Lupo quid postea factum sit, nec scio, nec curo. Nisi fortè renouato vetere rapacium

coquorum ſupplicio, rapax lupus in puteo cœnam coquit: aut niſi Martis auxilio, in cuius tutela eſt, illinc euaſit; inopinatáque vitati periculi lætitia, λύκος περὶ τὸ φρέαρ χορεύει, vt eſt in Græcorum parœmia. Anicula tamen, quæ rem geſtam ita narrabat vt crederes interfuiſſe, hoc aiebat vnum, vulpem calliditate ſua inde incolumem diſceſſiſſe. Quare & nos cum vulpe incolumes diſcedamus; prius Apollinē νόμιον, λύκιον, καὶ λυκοκτόνον, precati, vt quod ei lupo accidit, cæteris omnibus contingat; gregibúſque innoxiis per hoſtiū perniciem ſalute parta, quicquid eſt luporum in puteos condatur.

IOAN. PASSERATII PRÆFATIO in tertium librum Propertij.



NTER omnes non ſatis conuenit, recténe dictum ſit ab optimo poëtarum, cùm admiranda Mecœnati polliceretur rerum leuiū ſpectacula: *In tenui labor, at tenuis non gloria.* Imperiti enim, quorum eſt, fuit, & ſemper erit magna natio, negant paruis rebus eſſe immorandum:

nec quicquam probant, ac ſuſcipiunt, niſi quod ſpecie, ſonóque ingenti, oculos & aures feriat. Hebetes ſcilicet eorum ſenſus, vt vaſtæ cuiuſdam ac mole ſua torpentis belluæ, vehementioribus tantùm ſtimulis excitantur, & excitati, non ratione ac iudicio, ad ea quæ ſeſe offerunt, ſed opinione impetúque rapiuntur. Ex hoc ſemine orti ſunt innumerabiles cum aſininis auriculis Midæ, qui tibiarum Marſyæ aſperum ſtridorem, libentiùs quàm dulcem Apollinis lyræ ſtrepitum, audiunt. Quibus autem natura ingenium acrius, &, vt veteres loquebantur, capitalius, largita eſt, immane quantum iſtorum diſſimiles ſint, qui artificum opera, vt decempedatores agros, pertica metiuntur. Quippe vnum Phidiæ ſigillum, aut vaſculum Mentoris, omnibus Coloſſis, Mauſolæis, & inſanis Pyramidum ſubſtructionibus anteponent; magíſque auſcultabunt huic Virgilij præcepto, *laudato ingentia rura, Exiguū colito*; quàm Heſiodo ſuadēti:

Νῆ ὀλίγην αἰνεῖν, μεγάλῃ δ' ἐνὶ φορτία θέσθαι.

Quorſum hæc inſtituta diſputatio, aut quid ad Propertium? Nimirum vt eorum coarguam, & comprimam ſermones, qui malè poni operam in huius poëtæ interpretatione cenſent, & meliùs potuiſſe collocari in aliis auctoribus explicandis. Iactantur enim hæ

voces ab hominibus qui nunquam Gratijs litarunt : quas ego silentio frangere perseuerarem , nisi periculum esset ne pro confessione haberetur taciturnitas. Quid , obsecro , illos mouet , vt Propertium , quem omnes verè docti , quotquot sunt , admirantur, vulgariter doctorum nemo intelligit , tantopere fastidiant ? An rei quam tractat , & styli humilitas?

En cor Zenodoti , en jecur Cratetis.

Tenuis , inquiunt , est amorum materia ; & tenues elegiarum versiculi. An propterea non est *in tenui labor, & tenuis non gloria?* Pudet in hos stolones velitari exemplis , & rationibus pugnare : abeant ad mulieres lanificas , & ab iis quærant , vtrum difficilius sit, crassum stamen, an tenue subtamen nere. Rogent eximios pictores , vtrum operosius sit , secare lineas tenuitate sua obtutum effugientes, an eas ducere quæ in oculos incurrant , & sint vel lippis conspicuæ. Sciscitentur ex Polycletis ac Myronibus, procliuiúsne sit argumenta sculpere in valuis templorum , in heroüm clypeis , & in poculis operis antiqui : an, vt cogitauit Stasicrates , ex Atho monte ambitiosissimi Regis effigiē formare, quæ sinistra retineret vrbē cū decem incolarum millibus , & amnē dextra funderet in proximum mare decurrentem. Cele-

brauit, & adhuc celebrat fama Callicratem, quòd eburneas formicas, & alia tam parua fecerit animalia, vt eorum particulæ discerni nequirent. Est illustri nomine Myrmecides, quo ditem ex ebore quadrigam cum agitatore elaborarit, quam alis suis musca integeret; & nauem, quam apicula pennis absconderet. Viget laude, monumentísque literarum, is qui fertur in nucem inclusisse Iliada Homeri: atque id scripto in membrana carmine. Tollebatur in cælum Zeuxis frequenti plausu theatri, cùm vuas in scena proposuit, ita pictas, vt aues ad eas statim aduolarent: Sed de cælo decidit, vbi Parrhasius sic pictum induxit linteum, vt Zeuxis remoueri flagitaret, quò vuæ suæ ostenderentur. Deinde errore intellecto, is qui paulò ante alitum iudicio tumebat, ingenuo pudore coactus est palmam aduersario concedere: quoniam ipse volucres, se verò artificem Parrhasius fefellisset. Tantum valuit in eo certamine nobilissimorum pictorum exacta subtilitas. Quid Pyreïcus? nónne, quamuis humilia sequutus, summam humilitatis gloriam adeptus est: eiúsque perexiguæ tabellæ pluris vænierunt quàm maximæ multorum? Transeamus à simulatione ad veritatē: hoc est, à picturæ vmbris, ad naturæ lucem: & minutissima consideremus, quæ ob id inse-

cta nuncupantur: fatebimur communem omnium parentem maiore solertia bombyces, apes, culices, formicas, cicadas, & alia id genus architectatam esse, quàm leones, equos, tauros, & vastissimos quadrupedum elephantos. Age, comparemus Regaliolum cum Struthiocamelo: componamus crocodilum cum Scinco: conferamus Remoram cum ceto: cõtendamus gemmulas cum saxis, & herbulas cum arboribus: perspectis singulis, è tripode hoc vaticinatum credemus Plinium, *Nusquam magis quàm in minimis totam esse Naturam*: ignoscemúsque Aristomacho Solensi, quòd in apibus contemplandis annos duodesexaginta consumpserit. Descendamus ad contemptissima, & maximè ludicra Naturæ opuscula: faciamus quod olim ad Caietam Scipio & Lælius; conchas legamus, & vmbilicos, eiectamenta maris, & quæ fluctus quotidie in littus expuunt: qua de caussa nugas marinas vocat Apuleius, & littorales quisquilias. Sic enim emendandum opinor in Apologia priore, vbi pessimè nunc legitur, qui scyllas. Quanta in iis, quæso, lasciuientis Naturæ, ac sine penicillo pingentis varietas? quot colorum differentiæ? quàm multiplices figuræ? planæ, concauæ: longæ, breues: lunatæ, orbiculatæ: rugosæ, læues: denticulatæ, striatæ: virgulatæ, crispæ: imbri-

catim vndulatæ: canaliculatim reticulatæ; sic vt millesimam partem ars nulla possit imitari. Itaque quod antea ridiculum, nunc serium & memorabile queat existimari Cæsaris Caligulæ in expeditione Britannica facinus: qui cùm aciem instruxisset, machináſque disposuisset in litore Oceani, suspensis exercitus animis quidnam acturus esset, repente, signo dato, militibus imperauit, vt conchis galeas & sinus implerent, hæc esse dictitans palatio debita, Capitolióque digna Oceani spolia. Propertium ergo qui carpunt, & vellicant, quòd è tenui argumento laudem, vt laureolam è mustaceo petat, si quid sapiunt, ad inuidiam sapiunt, & malignè improbi sunt: quemadmodum qui eum paulò duriorem esse prædicant, si ita sentiunt, nihil sentiunt; ac vereor ne sæpiùs in Salmacide lauerint. Smyndrîdam Sybaritam, hominem cùm vitio gentis, tum suo luxu perditum, accepimus, cùm in rosa obdormisset, vix tandem excitatum ad symphoniam, eiulare, ac lamentari cœpisse, quòd sibi, de lecti eius duritia, tergum & latera dolerent: tanquam rosa farti puluilli fuissent Cretensium robur,

---- durúmve cubile
Inarime, Iouis imperijs imposta Typhœo.

Par horum mollis inertia, qui si fortè ab aliis

ſtudiis, quæ grauiora putant, requieſcere aliquantiſper tentauerint, quamuis teneris offenſi verſiculis, de ijs immerentibus conqueruntur, vt in Aulularia de ſermone ſororis Megadorus:

Mihi miſero cerebrum excutiunt tua dicta:
Lapides loqueris.

His ego bonam mentem precabor, & vt ſtolidiſſimum Iouem medicum Menecratem Philippus Macedo, iubebo ὑγιαίνειν. Sin ægrotare maluerint, quàm eſſe mea ſalute ſaniores; nihil vetabo quin Anticyra relicta, cũ ſui ſimilibus, perpetuò incolant Morboniam. Cæterùm in expolitione paruamur rerum triplex nobis eſt adhibenda cautio. Vna, ne in ματαιοτεχνίαν imprudentes delabamur, & dum admirationi eſſe cupimus, ludibrio ſimus: vt ille qui ciceris grana, certo ex interuallo miſſa, continuè, & ſine fruſtratione, in acum inſerebat, ſpectante Alexandro: A quo, vt magnificentiſſimo rege, cùm ampliſſimam mercedem expectaret, eámque iam ſpe deuoraſſet: λύκος ἔχανεν διὰ κενῆς, vt eſt in Græcorum prouerbio, *Inhiauit fruſtra lupus*: donatúſque duntaxat eius leguminis modio: quod præmium, vt ait Fabius, illo fuit opere digniſſimum. Altera eſt cautio, ne nimiũ velimus eſſe diligẽtes: quia ſæpe plurimùm obeſt nimia

diligentia. Ex quo iocus Africani, tribu mouentis Centurionem, qui in Pauli pugna non affuerat. Cùm enim ex Censore quæreret, cur ab eo notaretur: diceretq; se custodiæ [caussa] in castris remansisse: *Non amo*, inquit, *nimiùm diligentes*. Quo nomine reprehensum quoque ferunt ab Apelle Protogenem. Nam cùm eius opus immensi laboris, ac curæ supra modum anxiæ, miraretur: omnia sibi dixit cum illo esse paria, aut etiam illi meliora: sed vno se præstare, quòd Protogenes manum de tabula nesciret tollere. Postremò cauendum est, ne dum exilitati studemus, inanes aridíque existamus: nobísque pro sicca, & firma valetudine, contingant eæ quæ in Maronis epigrammate vocantur *Atticæ febres*. Siquidem non pauci tenuitatem in scribēdo consectantes, malè pasta, ieiuna, & velut abortiua fundunt carmina: in quæ id iure contorqueatur, quod de se ait in Captiuis Ergasilus:

Ossa atque pellis misera macritudine.

Diuerso, nec minore laborant vitio, qui vt habitiores nitidioréſque appareant, saginam cædunt, & sine vero succo, colore, & sanguine, vt veternosi, magis magísque intumescunt, qualem fuisse perhibent apud Græcos Antimachum: & nescio an apud Latinos huius morbi contagio hæserit Lucano, Papinio, Claudiano:

tio: quos tamen è poëtarum Senatu non eijcio, cùm honestè locum suum tuentur, & id vitij aliis rependant virtutibus. Multa quidem hîc peccamus: sed vnus est fons erroris, ex quo manant omnia: quòd cùm tabulas ac stylum cepimus, vt Icarus, aut Phaëthon in fabulis, modum tenere non didicimus: &, quæ est in plerísque iudicij vel imbecillitas, vel prauitas, interdum Comœdiæ cothurnum, & Tragœdiæ soccum induimus. Præterea, velut pedarij senatores in discessionibus, quæ pars maior videtur, in eam transimus: quamuis *iudicium pessimi turba sit*, vt rectè Seneca monet. Neque enim tam bene agitur cum rebus humanis, vt meliora pluribus placeant. Hinc quidam, soliti numerare non expendere sententias, Propertij libros aspernantur non alia de caussa quàm quòd à multitudine contemnuntur: si contemnere est, non legere, & non sequi, quod non valeas assequi. Ad Pauli filium, euersorem Carthaginis & Numantiæ, cùm in villam ad Laurentum (sic apud Macrobium puto scribendum esse, non Lauernium) allatus esset Acipenser, rarissimus inuentu piscis, & Apiciorum Nomentanorúmque gulæ imprimis expetitus: is tam elegans nactus cœnæ caput, vnum & alterum ex iis qui se salutatum venerant inuitauit, pluresque

que inuitaturus videbatur: Ibi Pontius eius familiaris in aurem insusurrauit: *Vide quid agas, Scipio: Acipenser iste paucorum hominũ est.* Idem de Propertio dici potest: Poëta iste perpaucorum lectorum & auditorum est: Non quòd omnes ad has discendi epulas, quandoquidem publicum est conuiuium, non admittamus, vltróque & liberaliter accepturi simus, sed quod ad multitudinis palatum & stomachum Propertius non facit. Vulgus fatuum fatuis delectatur betis: non gaudet sparsis papauere & sesamo ferculis. Liberum esse patiamur, vt Lucillianum pecus, qua lubet pascatur; *nec suam inuideamus Cyprio boui merendam,* vt est in Ennij Sotadico. Istuc nempe, vt cætera, præclarè in Phœnissis Euripides:

> Εἰ πᾶσι ταυτὸ καλὸν ἔφυ, σοφόν θ' ἅμα,
> Οὐκ ἦν ἂν ἀμφίλεκτος ἀνθρώποις ἔρις.

Pulchrum atque honestum si foret cunctis idem, nulla esset anceps hominibus contentio. Cui consentaneus Homeri versiculus ὀδ. ξ'.

> Ἄλλος γὰρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις.

Atque vt ille ipse Homerus alium fingit esse deorum sermonem, alium hominum: Sic aliud aliis poëtis scribendi genus. Suum certè Propertio proprium, ac peculiare: valde remotum à consuetudine sensúque populari: sub-

stile, pressum, limatum: floridum historiis, varium fabulis, verborum & sententiarum crebris luminibus distinctum: refertum exoticæ, reconditæque doctrinæ. Cuius rei conscientia fretus de seipso ista non dubitauit prædicare:

Primus ego ingredior, puro de fonte sacerdos,
Itala per Grajos Orgia ferre choros.
Quo me fama leuat terra sublimis, & à me
Nata coronatis Musa triumphat equis.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires;
Non iuuat è facili lecta corona iugo.
--- opus hoc de monte sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Hæc curent juuenes, hæc curent scripta puellæ:
Méque Deum clament, & mihi sacra ferant;
Tunc me non humilem mirabere sæpe poëtam,
Tunc ego Romanis præferar ingeniis.

At turpe est, dixerit aliquis, suo ipsius ore celebrari; *verecundioresque sunt*, vt ait M. Tullius, *præcones ludorum Gymnicorum, qui cùm cæteris coronas imposuerant victoribus, eorúmque nomina magna voce pronuntiarunt, cùm ipsi ante ludorum missionem coronâ donantur, alium præconem adhibent, ne sua voce ipsi se victores esse prædicent.* Respondet isti loco M. Brutus his ad Ciceronem verbis: *Iuuat magnificè loqui, & certè decet aduersus ignorantes quid*

rectum quid prauum sit. Nunquid porrò & M. Cato de virtutibus suis orationem habuit contra Thermum : Et alterum Calabriæ decus, vociferatur, vt exaudiant ac simul rumpantur inquit:

Sume superbiam
Quæsitam meritis: & mihi Delphica
Lauru cinge volens Melpomene comam.

Quinetiam poëtarum Princeps, qui è virginali modestia Partheniatis cognomen inuenit, de se ita loqui non erubescit:

Primus ego in patriam mecum, modò vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas,
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.

Mitto Pindari, Lucretij, & aliorum jactatiunculas: litem hanc edito libello, ceu honorarius arbiter, decidit Plutarchus. Licuit igitur, libuítque simul, Propertio, insultare inuidiæ, tum eius famam arrodenti, vt magnos homines sæpiùs quàm paruos minuti allatrant canes. Datum illi etiam ab Apolline vt præsagiret sibi venturam mortuo eam laudem quam viuo negarat inuidia, & quæ postea iudicio testimonióque doctorum ei contigit:

At mihi quod viuo detraxerat inuida turba,
Post obitum duplici fœnore reddet honos.

Doctorum dixi, quorum manibus teritur,

gestatur in oculis, fouetur in sinu: licèt dolendum sit, ex eo numero extitisse tam paucos, qui sibi corollam è delicatissimis & amœnissimis eius hortulis texuerint, ac saltem adnotatiunculis & scholiis aureos illos versus illustrarint. Primus Beroaldus, vir diligens, & vt illo sæculo, eruditus, in eum scripsit commentarium; cui sanè tribuenda laus, quod egit: danda venia, quod reliquit, non spicas, sed vberem messem: in quam nos quoque falcem injecimus: Quo successu, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Opus hîc ingenio, eruditione opus: quod vtrúmq; in me perexiguum agnosco. Pergam nihilominus, vt occepi: nec semel susceptum onus deponam, satis officio, vel sola voluntate consulendi vestris studiis, facturus: quando, vt hic noster ait, *In magnis voluisse sat est.* Non est meum in Aquilianam de dolo malo formulam committere: Nec mihi simulatio, nec dissimulatio probatur: agam bona fide: quod sciam, id vos nõ celabo: quod nesciam, id nesciũ vobis tradam. qui à me plura postulabit, ejerabo, iniquus est. De me præterea nihil: hoc solùm de Mantuani vatis oraculo: si vsquam verum est, *In tenui labor, at tenuis non gloria*: id in scriptis Propertij verissimũ est. Qua de re si quis pertinaciùs nobiscũ litigare volet: nulla per nos mora, quin jure judició-

que contendamus: non *caluimur*; *non struimus pedem*: rectà Prætorem adeamus. Detur nobis Q. Horatius, seuerus harum controuersiarum iudex, ne dicam fastidiosus censor, cui Plautus, facetiarum pater videtur parum facetus Is egregiè Propertium laudat, sed testimonio prope cæco. Adeò in eius verbis delitescit Amerini poëtæ iusta commendatio: quam ego primus, nisi fallor, è tenebris eruam & in lucem proferam. Sic igitur scribit ad Iulium Florum:

Carmina compono: hic elegos, mirabile visu!
Cælatúmque nouem Musis opus. ----

Obscurè inquam, per elegos, & cælatum opus nouem Musis, Propertii poëmata innuit, ipsis Camœnarum manibus expolita: quod & paullò post significat apertiùs:

Discedo Alcæus, puncto illius: ille meo quis!
Quis nisi Callimachus? Meminerat, credo, Propertium auidè arripuisse, sibique vindicasse, Callimachi nomen: & fortasse legerat vel audierat illos versus ex elegia prima libri quarti:

Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi.

Quicquid est, non temerè profectò Statius, *in epithalamio Stellæ & Violantillæ*, Propertium Callimacho & Philetæ socium adiungit:

---- *hunc ipse choro plaudente Philetas:*

Callimachúsque senex ; Vmbróque Propertius antro,
Ambissent laudare diem. ---
Amat enim hic noster se cum illis conferre , vt elegia sexta libri quarti:

Cera Philetæis certet Romana corymbis;
Et Cyrenæas vrna ministret aquas.

vbi per aquas Cyrenæas Cyrenæum intelligit Callimachum, Elegia prima libri secundi:

Sed neque Phlegræos Iouis Enceladíque tumultus,
Intonet angusto pectore Callimachus.
Nec mea conueniunt duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen auos.

Elegia vltima:

Tu satius memorem Musis imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.

Elegia nona libri tertij:

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos:
Et cecinisse modis Coë poëta tuis.

Denique elegia prima eiusdem libri ; nam consultò mutaui ordinem , vt hîc hodie desinerem, vnde cras incipiendum erit:

Callimachi Manes , & Coï sacra Phileta,
In vestrum quæso me sinite ire nemus.

IOAN. PASSERATII PRÆFAtio in Librum Quartum Propertij.



ACRA Musis solemnia facturi, vt solemnem ritum sacrorum teneamus, ab ominibus bonis ordiemur, & jubebimus fauere linguis, dum Propertius noster

Carmina non priùs
Audita, Musarum sacerdos,
Virginibus puerísque cantat.

Cujus rei nos admonet insani principis sapiens magister, cùm beatè viuendi præcepta tradens, Quoties, inquit, sacrarum literarum mentio interuenerit, fauete linguis: quod verbum, non vt plerique existimant, à fauore trahitur, sed imperatur silentium, vt ritè peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente: & quoties aliquid ex eo proferetur oraculo, vt intenti, & compressa voce audiatis. Neque verò satis est, quod in sacris præcipitur, linguam pascere, nisi mentem simul ipsam pascamus: quod facit is qui adest animo, vt corpore. Nam cujus animus & aures peregrinantur, quamuis taceat, nihilominus obstrepit sacris

musarum, nec vllum præstat in ea taciturnitate silentium. Id quam vim haberet vt indicarent diligentissimi, peritissimíque rerum diuinarum Ægypti, Isidi & Osiridi perpetuò comitem adiunxerunt Harpocratem , qui ab Ausonio dicitur Sigalion : licet aliam eius moris causam apud Diuum Augustinum reddat Marcus Varro. Ex hoc Ægyptiorum ritu credibile est philosophum illum inclytum Samium, suam hausisse ἐχεμυθίαν, cùm eos quos probabat discipulos, omnium primùm docebat tacere: vt certo definitóque temporis spatio, pro cuiúsque indole & ingenio , essent dumtaxat ἀκουστικοὶ: mox ab iis profecti initiis μαθηματικοὶ, ac postremò φυσικοὶ euaderent. Eam quoque , vel virtutem , vel virtutis administram , vocauit idem philosophus ἡσυχίας ἐν δευτέρῳ ἱερῷ λόγῳ, eo versu quo præclarum opus exorsus est, & qui aureis literis scribatur dignissimo:

ὦ νέοι, ἀλλὰ σέβεσθε μετ' ἡσυχίας τάδε πάντα.

Præterea vetus opinio fuit, Regem Numam, qui Pythagoræ auditor fuisse perhibetur, aut à Pythagoræ decretis non alienus, cùm Musarum consuetudine non minùs quàm Egeriæ Nymphæ vteretur, Quiritibus suis persuasisse, vt ex earum numero vnam, nomine *Tacitam*, præcipuè venerarētur, quã Plutarchus σιωπη-

λιώ, καὶ νέαν, interpretatur, ob ſtudium fidémque ſilentii, & ætatis florem ſemper vigentem. Angeronam certè conſtat eos perſanctè coluiſſe, eiúſque deæ ſimulacrum ore obligato & obſignato, in ara Volupiæ poſuiſſe, vt ſignificarent, ſilentii patientiæque beneficio ad maximam perueniri voluptatem. Non me latet aliud eſſe in ſacris genus ſilentii, quod arcana ſacrorum enuntiare prohibet, ne inexplicabilis fraus admittatur: quo de genere ſilentii nunc loqui non inſtituimus: Augurum ſilentium potiùs optamus, hoc eſt, vt ipſi definiunt, omnis vitii vacuitatem: vt ad hæc ſacra, pro puris manibus, pura veſte, puris verbenis, & puris victimis, puras aures, animúmque purum adferamus: quia ſic captatis auſpiciis, ſtatim quæuis addicent aues, & quicquid acturi erimus fortunabunt. Quiſquis enim Sigalioni, Tacitæ, Angeronæ, caſtè operabitur, experietur veriſſimam eſſe Menandri ſententiam:

οὐθὲν σιωπῆς ἐστὶ χρησιμώτερον.

Libet autem hoc loco tria trium poëtarum inſignia ſilentii exempla proponere, quæ inter ſe collata, & leuiter emendata, reor vobis non iniucunda fore. Ennius in Scipione:

Mundus cœli vaſtus conſtitit ſilentio,
Et Neptunus ſæuus vndis aſperis pauſam dedit.

Sol equis iter repreßsit vngulis volantibus.
Constitere amnes peremnes: arbores vento vacant.

Reperiuntur hi versus apud Macrobium in libro sexto Saturnaliorum, capite secundo, mendosi tamen hoc modo:

Mundus cœli vastus constitit silentia.
Item *consistere amnes peremnes.*
Restitui, *constitit silentio*:

quod valet, stetit cum silentio: vt apud Virgilium in libro quarto Georgicorum:

Atque Ixionei vento rota constitit orbis:

constitit vento, stetit cum vento. Et in libro duodecimo Æneïdos;

Consurgunt gemitu Rutuli:

surgunt cum gemitu. Catullus in miserabili carmine ad Manlium:

Quod mihi fortuna, casúque oppressus acerbo,
Conscriptum lacrymis mittis epistolium.

conscriptum lacrymis, scriptum cum lacrymis. Pro consistere amnes peremnes, quod reposui constitêre: ita videlicet sensus poëtæ postulat, & flagitat trochaïci modulus, confirmátque is versus quem mox laudabimus. Sequitur illic, arbores vento vacant: quod nos manu ducit ad emendationem alterius versiculi Enniani ex Hectoris Lytris:

Constitit, credo, Scamãder: arbores vento vagant.

Nempe hanc nobis lectionem obtrudit Nonius Marcellus in verbo vagas pro vagaris: vbi ridiculè nouus Orpheus arbores inducit vagantes. Atqui quauis sponsione contenderim, & meo bono periculo, legendum esse, *vacant*, non *vagant*. Quid enim tam geminum germanum quàm hi duo sunt eiusdem poëtæ versus?

Constitere amnes peremnes: arbores vento vacant.

Constitit credo Scamander: arbores vento vacant.

Quid sit porrò arbores vento vacare, non ignorant qui norunt quid sit νηνεμία, & meminerunt istud Euripideum in Bacchis, vbi Deo verba faciente, mirum exprimitur cæli, arborum, & ferarum silentium:

Σίγησε δ' αἰθὴρ, σῖγα δ' εὔλειμος νάπη
φύλλ' εἶχε, θηρῶν δ' οὐκ ἂν ἤκουσας βοήν.

Conticuit æther, tacita frondosum nemus
Continuit folia, vocem presserunt feræ.

In Euripidis & Ennij vestigijs pedem posuit Maro, cùm ait Ecloga nona:

Et nunc omne tibi stratũ silet æquor, & omnes,
Adspice, ventosi ceciderunt murmuris auræ.

Verùm in libro decimo Æneïdos vtrúmque & seipsum penè superauit:

Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas,

Insit: eo dicente, Deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther.
Cùm Zephyri posuere: premit placida æquora pontus.

Quibus in verbis, si quis ista consideret attentiùs, *Et tremefacta solo tellus*: suspicari poterit, scriptum à Virgilio fuisse, *Et tremefacta sono tellus*, non solo: vt diuinæ vocis ingenti sono tellus conterrita intremuisse dicatur: quo modo fere loquitur in libro secundo Æneïdos:

Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter comitíque oneríque timentem.

Et Propertius in elegia quinta libri quarti:

Nec sedeant cineri manes: & Cerberus vltor
Turpia ieiuno terreat ossa sono.

Sustinebo tamen assensionem, ne affirmatione temeraria, in lubrica conjecturarum via vspiam labar: præsertim cùm non nesciam dici sola terrarum: & satis bella sit explicatio Virgiliani loci; Ioue loqui incipiente, ab ipso solo, fundamentísque, & quasi radicibus tremefactam terram fuisse. Sed ego nimiùm verbosus & loquax in edicendo silentio: vereórque ne imitari videar apparitores ac silentiarios nostros, qui, vt audientiam faciant, dum suum illud *Silete*, *Silete*, altiùs ingeminant, sub-

fellia tumultu, & clamore implent curiam. Satis ergo multa de silentio: nunc pauca subijciamus de sacris Propertij, vt cujusmodi sint, & quo colenda pacto, intelligatis. Vt in ciuitate, sacrorum alia sunt quæ ad vniuersos, alia quæ ad singulos ciues, singulásque gentes, ac familias pertinent: quorum illa publica, hæc autem priuata, gentilitia & familiaria nominantur. Sic Poëticorum sacrorum, alia communia sunt: alia, propria. Communia sunt, quorum omnes poëtæ sunt participes, vt Apollinis, Liberi patris, & Musarum: quoniam eorum numinum afflatu instinctúque concitati vates sua fundunt oracula. De quibus Virgilius in libro secundo Georgicorum:

Me verò primùm dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant, cælique vias, & sidera monstrent:

Ouidius in elegia decima libri secundi de Ponto:

Sunt tamen inter se communia sacra poëtis.

Papinius Statius in libro quinto Syluarum, vbi acerbum filij deflet interitum.

---quæ vestra sorores
Orgia Pieriæ? quas incestauimus aras?

Obscurus satyricus, & qui Democrito cognomen eripuit:

Ipse semipaganus

Ad ſacra vatum carmen affero noſtrum.

Horum communium ſacrorum ſe velut Antiſtitem eſſe gloriatur is poëta quem *Rudiæ genuere vetuſtæ*, cùm ait, *Muſarũ Pompilius clueo*: quaſi in ceremoniis Muſarum alter eſſet Numa, pluſquàm Rex ſacrorum aut Pontifex maximus. Idcirco Theocritus in Gratiis poëtas omnes vocat Μουσάων ὑποφήτας,

Μουσάων δὲ μάλιστα τίειν ἱεροὺς ὑποφήτας.

Propria ſunt, vél cujúſque poëtæ, vel cuiúſque generis: (nam plura poëtarum genera ſunt;) de quibus hic noſter initio libri tertij:

Callimachi manes, & Coï ſacra Philetæ;
In veſtrum quæſo me ſinite ire nemus.

Martialis in libro ſeptimo, de Silio Italico:

Sacra cothurnati non attigit ante Maronis.

Ea ſacra rurſus Propertio duplicia ſunt: Vna Veneris & Cupidinis: quæ ita ſacra dicenda sũt, vt homines ſceleſti ſacri, & *Auri ſacra fames*, quibus ſacris polluimur non expiamur. De iis Propertius in elegia ſeptima libri primi:

Tu caue noſtra tuo contemnas carmine ſacra.

Et in elegia decima libri tertij:

Noctis & inſtituet ſacra miniſtra Venus.

Altera, vtpote ſobriorum hominum & frugi, longè meliora ſunt: ad quæ tandem ſe amator noſter contulit, elegia penultima libri tertij:

Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu,
Vulnera & ad sanum nunc coïêre mea.
Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.

Quare gratulandum est Propertio, quod è nequitiæ vadis, & scopulis libidinum, ad bonæ mentis portum enatauit, vbi majora concepit animo, & librum quartum scripturus, imposuit elegiæ tantum oneris, quantum vix epos ferre posset. Hinc illa magnifica promissa, & Homerico vel Pindarico spiritu digna molimina:

Sacra diésque canã, & cognomina prisca locorũ.
Roma faue tibi suadet opus: date candida ciues
Omina, & inceptis dextera cantet auis.
Sacra facit vates: sint ora fauentia sacris.
Nunc Iouis incipiam caussas aperire Feretri:
Armáque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires,
Non iuuat è facili lecta corona iugo.

Atque vt singulas elegias percurramus, quid difficilius aut grauius: quid audacius aut felicius, quàm vrbis Romæ originem, incrementa, majestatem, tam paruis numeris, iísque imparibus & alternis includere? quod facere aggressus est elegia prima. Quot modis stylum, & quot se in facies, Protei more vertit, cùm Dei Vortumni multiplices formas

inas, artes, nomina, ſpirantémque & loquentem in medio foro ſtatuam nobis effingit elegia ſecunda? Proditam Sabinis hoſtibus ab inceſta virgine Veſtali arcem collis Saturnij: juſtam proditionis mercedem: ſempiternúmque ſceleris monumentum æternis chartarum monumentis tradere: & Tarpeij nominis inuidiam atque infamiam ſaxo inſculpere, opus eſt vnius Propertij elegia quarta. Actiacam pugnam, præſens Apollinis numen, inſignem Cæſaris victoriam, & Ægypto ſubacta propagatos imperij Romani fines vt exili verſu æquauit, elegia ſexta! Lanuuini draconis miraculum, & hiſtoriam ſuo prope ſæculo incognitam, quàm venuſtè, & quàm paucis deſcripſit, elegia octaua! Quod in elegia decima narrat; Herculis in Italiam aduentum, cum Geryonis bubus: eos boues à Caco abactos: receptam prædam, & interfectum latronem: Negatam à mulieribus aquam victori ſitienti, quod non impunè tulerunt, ab eo in perpetuum iuſſæ eo exeſſe ſacro quod tum Ioui ſtatuit, vnà cum Ara maxima: hoc (inquam) ita narrat vt ſpectare non audire videamur. Iam verò in elegia vndecima, vt eleganter de Ioue Feretrio diſſerit! varias nominis cauſſas exponit, & opima ſpolia Camœnarum humeris reportat.

--- *Sic Musa Properti*

Ausa per exiguos magna referre modos;

vt eius sodalis versiculum vsurpem. Minoris argumenti est, nec minoris operæ, elegia tertia, siue epistola Arethusæ ad Lycotam: cui, ne longo quidem interuallo proxima sit vlla heroïdum epistola. Acrior est aliquanto elegia quinta, vbi Lenæ improbitatem exagitat, scelestum caput deuouet, dignóque eius vita exitio tumulóque insultat. Sunt & eximio artificio contexta duo epicedia: vnum in Cynthiam, elegia septima: quod totum ita dextro Mercurio surripuit Homero, vt vix Homerus ipse furtum deprehendat. Alterum in Corneliam Scriboniæ, elegia vltima: planè quod ait Catullus:

Mæstius lacrymis Simonideis.

Superest quædã poëtæ nostri ex vetere nequitia turpitudo, elegia nona, vbi in alieno amore manifestò tenetur à Cynthia, & meritò vapulat. Eam tamen elegiam non arbitror ad hunc librum, sed ad aliquem superiorum pertinere. Collocata sanè est præposterè, cùm in elegia septima iam Cynthia mortua lugeatur: elegia autē nona, tanquam magico carmine ab inferis excitata rursus prodeat, rixas turbásque concitet; ac tandem cum Propertio redeat in gratiã, quòd seu librariorũ, seu grammaticorũ

flagitium, haud ſcio an hactenus ſit animaduerſum. Habetis ſacra Romani Callimachi; nunc de horum cultu auſcultate Propertio Cyrenæo:

--- Ἑκὰς ἑκὰς ὅςτις ἀλιτρός,
Ὠ'πόλλων οὐ πάντι φαείνεται, ἀλλ' ὅτις ἐσθλός.
--- *Procul ô procul eſte profani,*
Non etenim cuiuis ſe præbet Apollo videndum;
Sed caſtóque, bonóque viro.

Opus videlicet his ſacris, pro iniuge, placida, & ſine labe victima, libero animo, & integro, mãſuetóq; ingenio. Græci quidẽ ſacerdotes, victimã probaturi, aquã in eius aurẽ ſolebãt infũdere: & ſic experiri an eſſet idonea ſacrificio. Horum imitatione, aquæ vicẽ, aurib⁹ Propertij verſus inſtillabimus: ſi quis reſpuet, nec leniter influere patietur, bidentẽ reiiculã cenſebimus: amouebimus à ſacris, & ab altarib⁹ ad paſcua, vel ad lanios remittemus. Tenebimus & illũ morẽ ſacrorũ, quòd deos ſalutaturi diſcingebãtur, & capita operiebãt: ſi ſoluti erim⁹ aliis omnibus curis & negotiis, & ſi nec reſpiciemus, nec proſpiciemus, omnémq; cogitationẽ noſtram in literis defigemus. Lucius Sylla, qui, vt ſitim ciuilis ſanguinis expleret, vrbem, & Italiam fermè totam cædibus exhauſit, cùm ad ædem Bellonæ ſenatum haberet, & in vicino campo trucidari ſeptem millia ciuium

jussisset, conclamatione tot miserorum sub ferro gementium exterrito senatu: *Hoc agamus*, inquit, *Patres conscripti, pauculi seditiosi iussu meo occidantur.* Auertat Deus omen tam diri exempli: quicquid tamen acciderit, his sacris intenti simus, nec nostra putemus interesse quid vulgus tumultuetur. Alij aliud agant, nos hoc agamus, & arciũ artiúmq; patronã ita ritè veneremur: ὦ παλλὰς τριτογένεια, ἄνασσ' ὄρθου, τὴν δὲ πόλιν τε, καὶ πολίτας, ἄτερ ἀλγέων, καὶ στάσεων, καὶ θανάτων ἀώρων. Consentanea enim sunt ista, & votis, & temporibus nostris; nec absurdum est, cùm à fauentia & bonis ominibus cœperimus, si in hanc precatiunculam, Alcæi verbis conceptam, desinamus.

IOAN. PASSERATII PRÆfatiuncula.



IN his Musarum castris, quòd magnam hyemis partem infrequens fui, si quis me vel emansorem, vel desertorem existimat: ei culpę deprecandæ veterem breuémque historiam narrauero. Gregarius olim miles, ex amore infimæ conditionis mulierculæ oppi-

dò corruptus, non mediocri sacramenti flagitio, nec minore capitis discrimine, furtim egredi castris, & abnoctare consueuerat. Id vbi resciuit Imperator, quia eius forti fidelique opera sæpe vsus erat, noluit pro suo jure, & seueritate disciplinæ militaris, agere: sed vocato in tabernaculum, tribúsque verbis castigato, redemptam à se quam deperibat ancillulam, propriam perpetuámque tradidit. Atque ita fecit, quod negatur fieri posse, vt *canem fugitiuum alligaret agninis lactibus*. Ad hoc exemplum, arbitror mihi non veniam modò, sed & laudem deberi, quòd, dum hinc fui, amicam sequutus sum: (vtinam assequutus! nam adhúc malè morigeram experior:) & amicam eiusmodi, vt eam vel ipse sibi expetat Xenocrates: sine qua vita morte acerbior sit: vnde Venus venustatem: Cupido amorem: decorem Gratiæ: Iocus lepôrem: Iuuentas florem ætatulæ: robur Hercules mutuum sumat: Summo præterea genere natam, vtpote neptem Apollinis, & Æsculapij filiam: cui, nisi seruiam, neque meis, neque vestris queam seruire commodis. Nondum agnoscitis, opinor & vultis nominē? Non pudebit nominare, quã amplecti in medio foro, & in sinu fouere turpe non sit. Ea est Bona Valetudo: cujus caussa causã hanc à me qui non accipiet, vtitur illa excusatione, qua

ridiculus patronus, apud ridiculum iudicem Claudium Cæsarem vsus quondam fertur. Cùm enim excusaret testem ab eo è prouincia euocatum, dixit, Non potuisse præsto esse. Quærenti, cur ita, *mortuus est*, inquit, *credo, licuit*. Inimicis nostris isto modo abesse liceat, quo citatis nemo respondet, nec solemne Censionis verbum eloquitur, nisi vt in tragœdia:

Adsum, atque aduenio Acheronte.

Tanti mihi non est excusari sic, accusari mâlo. Neque verò est quòd serò venisse existimemur, quasi depugnato prælio, vt iocatur in Menæchmis facetus vernula. In conuiuio Propertii satis est reliquiarum, quas nunc tempus est vt cum parasitis Plautinis attondeamus.

IOAN. PASSERATII PRÆFAtio in Bucolica Virgilij.



LAVDAT Domitii Marsi versiculum de Q. Cæcilio Epeirota, literatore non ignobili, Suetonius, in libello de illustribus Grammaticis:

Epeirota, tenellorum nutricula vatum.

Quo versiculo nutriculam vatum meritò ap-

pellauit Cæcilium Domitius: quia primus ille Grammaticorum publicè Virgilium interpretatus est, sine cuius carmine, tanquam lacte, tenera è Latio ingenia rectè ad poëticam ali, & educari non possent. Ideò Fabius Rhetor: *Vt apud Græcos Homerus*, inquit, *sic apud Latinos Virgilius, erudiendis pueris auspicatissimum dederit exordium: optiméque institutum est, vt à Virgilio potissimùm lectio inciperet: quamquam ad intelligendas eius virtutes firmiore judicio esset opus.* Quare consilij mei rationem de Virgilij Bucolicorum interpretatione me omnibus probaturum esse confido: iis præsertim qui præstantissimis censent assuescendum; nec de ornando celebrandóque Virgilio laborant: cùm sit hæc Virgilij gloria, quemadmodum ait apud Macrobium Symmachus, vt nullius laude crescat, nullius vituperatione minuatur. Tantùm dicam, post Bauium, Mæuium, Philistum, & eiusmodi paucos, indoctos, insulsósque obtrectatores, qui viuo Virgilio contigerunt, inuentum esse neminem qui non hunc poëtam amarit, coluerit, admiratus sit. Nisi fortè nobis objiciatur Caius Cæsar Caligula, qui Virgilij scripta & imagines ex omnibus bibliothecis tollere conatus est, impudentissima calumnia, quòd eum diceret nullius ingenij, minimæque doctrinæ. Audio vocem

portenti & furiæ, non principis: caudicis, & stipitis, non hominis: qui adeo vecors fuit vt equum suum Consulem populi Romani designaret. Debuerat certè bipedum stolidissimus ac sæuissimus illum quadrupedem Cæsarem potiùs declarare; & equo suo, qui se esset multo sapientior, principatu imperióque cedere. Quanto meliùs Imperator Alexander Seuerus, qui vnà cum Ciceronis simulachro in secundo Lario, Virgilij consecrauit imaginem, vbi Achillis & heroüm collocatas habebat imagines: eúmque Platonem poëtarum nominabat: vt olim à Panætio dictus est Plato philosophorum Homerus. Vnum addam modò, insigne ad laudem præconium, nec à nostro alienum argumento. Scribit enim auctor libri *de caussis corruptæ eloquentiæ*: (Cornelium Tacitum qui putat, haud mecum sentit: non magis quàm qui variis centonibus consarcinatam, & nuper editam de consolatione declamatiunculam, M. Tullio repugnanti & reclamanti obtrudunt:) Scribit igitur ille, quisquis est, ad hunc modum: *Ac ne fortunam quidem vatum, & illud felix contubernium, comparare timuerim cum inquieta, & anxia oratorum vita. Licèt illos agitent certamina sua, & pericula, & controuersiæ, malo secretum & securum Virgilij secessum: in quo neque apud* Diuũ *Augustum gra-*

tia caruit, neque apud Populum Romanum notitia. Testes Augusti epistolæ: Testis Populus ipse Romanus, qui auditis in theatro Virgilij versibus, surrexit vniuersus; & fortè præsentem spectantémque Virgilium sic veneratus est quasi *Augustum.* Hæc incerti, boni tamen auctoris, verba pertinere ad Bucolica nostra suspicor, adductus aliis verbis, è Virgilij vita, cuius scriptorem fuisse Donatum è Seruio didicimus: *Bucolica*, inquit, *triennio, Asinij Pollionis suasu, perfecit; eóque successu edidit, vt in scena quoque recitarentur.* Verùm ego istuc credo: at illud falsum quod mox subijcit: Ciceronem auditis quibusdam Virgilij versibus, jussisse ab initio totam eclogam recitari; eáque accuratè pernotata, exclamasse: *Magnæ spes altera Romæ*: quod Hemistichium libro duodecimo Æneïdos Virgilius postea inserüerit. Tam hercle, inquam, hoc falsum, quàm id quod etiámnum in ore est imperitæ multitudinis, & in circulis narratur: Virgilium scilicet à meretricula, quam deperibat, deceptum quondam ac delusum, è turri quadam sublimẽ omnibúsque conspicuum pependisse: quam mox ille magicis artibus probè sit vltus infamiam. Placet verò huius anilis fabellæ originem scrutari, & erroris occultum aperire fontem, vt vnâ operâ mendum, quod in eadem

Virgilij vita inoleuit, tollamus. Est autem illic ita scriptum: *Virgilius Maro parentibus modicis fuit, & præcipuè patre Marone: quem quidam opificem figulum; plures Magi cuiusdam viatoris initio mercenarium, mox ob industriam generum, tradiderunt.* Ex hoc loco homines non satis perspicaces, & nimiùm creduli, auum maternum fuisse magum arbitrati sunt: longiúsque opinione prouecti, Virgilium magicas artes ab auo materno edoctum fuisse sibi persuaserunt: & inde ridiculum illum absurdúmque mimum confinxerunt. Atqui erratum est in vna tantùm voce à scriptore librario, quem eius qui dictabat, fefellit pronuntiatio. Scribendum enim *Maij non magi*, vt perspicuè ostendet id quod paulò pòst sequitur: *Prægnans mater Maia somniauit enixam se laureum ramum.* Si mater Virgilij dicta Maia, necesse est auum maternum Virgilij Maium vocatum fuisse, non magum, quando paternum nomen inditum filiæ. Videtis ex tantillo librarij errato quanta nata, aucta, & propagata sit fabula. Progredi longiùs nolo: nec ad Theocriti, Hesiodi, Homeri comparationem cum Virgilio accedere, de qua vulgò sic statuunt: Virgilium à Theocrito plerúmque victum, nec rarò Theocritum à Virgilio esse superatum: Hesiodum

Virgilio longè inferiorem videri: & Homeri vim, tacitámque maiestatem, sententiarum grauitate & verborum proprietate Virgilium adæquasse. Meum non est, nec priuati cuiusquam, tanta de re pronuntiare. Vocandæ omnes eruditorum centuriæ, & in suffragia mittendæ, vt maximo doctorum comitiatu de maximorũ hominum fama & penè capite, sententia feratur. Licèt tamen absque vlla Græcorum offensione laudem eam tribuere propriam Virgilio, quòd trium summorum poëtarum triplex argumentum triplici opere vnus expresserit: Nimirum Idyllia 36. Theocriti, decem Bucolicorum eclogis: opera & dies Hesiodi, quatuor Georgicorum libris: Iliada & Odysseam Homeri, duodecim voluminibus Æneïdos. Qua in re sequutus est humanæ vitæ naturæque ordinem. Etenim prima fuit, in terris, aureo illo sæculo, pastoralis vita: deinde culta rura: postremò pro cultis & feracibus agris suscepta & gesta bella. Cur autem Theocriti & Virgilij pastoralia carmina Bucolica inscribantur, in promptu est, & à plebe Grammaticorum olim reddita ratio. Tria enim constat esse genera pastorum, quorum minimi αἰπόλοι, siue Caprarii: paulò honoratiores, ποιμένες, siue Opiliones: honestissimi Βουκόλοι, siue bubulci, à quibus Bucolica dicta;

quia capris & ouibus boues antecellunt, cùm & maximæ victimæ hinc eligantur. Bucolicorum autem origo varia memoratur. Nam alij à Lacedæmoniis pastoribus: alij ab Oreste: alij ab Apolline Nomio: alii à Libero patre: alii à Mercurio: alij à prima hominum vita, quam pastoralem fuisse paulò antè docuimus, eam repetunt: Nec desunt qui ad honorem Panos, Fauni, & Syluani, deorúmque agrestium, eam referant. Nonnulli ordinis, quem Virgilius tenuit, hanc statuunt caussam, quòd cùm tria sint dicendi scribendíque genera, ἰσχνὸν, ἁδρὸν, μέσον: tenue, amplū, & moderatum: ἰσχνὸν in Bucolicis: μέσον in Georgicis: ἁδρὸν in Æneïde Virgilius exequutus est: vt ostenderet se nullo in genere non exercitatum esse. Præterea, poëma omne, aut δραματικὸν, aut διηγηματικὸν, aut μικτὸν: δραματικὸν, in quo, personæ loquentes inducuntur, poëta silet, vt in Bucolicorum parte maxima: διηγηματικὸν, in quo poëta loquitur, nulla interposita persona, vt in tribus primis Georgicorum libris: μικτὸν, in quo & poëta loquitur, & alias personas loquentes inducit, vt in Æneïde. Scio me, vt ait Plautus, *vetera vaticinari*, & ea percurrere quæ semidoctis non ignota sint: Adijciam nihilominus pauca, de Eclogis & Tityro: nec obscuriora, etiam ab aliis obseruata; ἐκλογεῖν

ſeligere eſt, excerpere, adnotare: vnde poëmatia ex aliis excerpta,& adnotata, vt è Theocrito Bucolica Maronis, eclogas Grammatici vocarunt, ídque nomen aliquando latiùs patet,vt Galliæ decus Turnebus admonuit. Sanè Apollinaris lyrica Horatij poëmata Eclogas nominat, quòd ea ex Pindaro, Alcæo, Alcmane, cæteríſque Lyricis, ad imitationem, excerpſiſſet, & ſelegiſſet:

Vernans per varij carminis eclogas,
Verborum violis multicoloribus.

Hinc apud Ciceronem *in epiſtolis ad Atticum*, Eclogarij, homines eruditi, excerpere ſoliti, & in breuiarium conferre quicquid legerent. Reliquum eſt, vt de Tityro breuiter diſſeramus, quo nomine Theocritus & Virgilius nullum excogitare potuerũt Bucolico carmini aptius. Eſt enim Tityros calamus Heſychio, vnde apud Virgilium calamo canit Tityrus, & Athenæo libro quarto δειπνοσοφιστῶν, χαλάμινος αὐλὸς πτύρινος χαλεῖται παρὰ τοῖς ἐν Ιταλίᾳ Δωριεῦσιν: addit Athenæus & muſicon organō ita vocari,alio nomine monaulō. Tityrus item Laconũ linguâ aries major aut veruex ſectarius,ſi credimus Seruio. Strabo libro decimo inter deos agreſtes Tityros nominauerat. Scholiaſtes Theocriti in tertiũ Idylliũ; τοὺς ἀργοὺς πιτύρους λέγουσι, hinc apud Virgilium len-

tus & otiosus Tityrus. Subiungit idem scholiastes Tityrum Silenum dici, & Satyros Tityros, & hircos, & προσπόλους τῶν θεῶν. Camillos & ministros deorum haberi Tityros. Nam quod adjungit idem Scholiastes: ejus nominis montem esse in Creta insula, & Tityros dici simias quasdam exiguâ caudâ, nihil ad id quod agimus. Huc accedit quod quamlibet pastoris personam Tityrus sustinet αἰπόλου in ecloga 3.

Tityre pascentes à flumine reice capellas. & ecl. 9.
Tityre dum redeo, breuis est via, pasce capellas.
In ecloga 5.

Incipe, pascentes seruabit Tityrus hædos.

Est etiam Tityrus ποιμὴν in ecloga 6.

-- Tityre pingues
Pascere oportet oues. Martialis:
Iugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ,
Flebat & abductas Tityrus æger oues.

Βουκόλος quoque inducitur in ecloga prima, cùm ait ipse,

Ille meas errare boues, &c.

Nihil igitur mirum si Virgilius à Tityro exorsus est Bucolica, cùm & solius Tityri nomine ea designentur ab Ouidio, cùm ait:

Tityrus, & segetes, Æneïaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

Imò verò & ab ipso Virgilio, vt iisdem versi-

bus meam originem claudam, quibus ille Georgica conclusit:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oci,
Carmina qui lusi pastorum, audáxque iuuentâ
Tityre, te patulæ cecini sub tegmine fagi.


CAROLO SALDANIO, DINCARuillæo, Regi ab interioribus consiliis, & à præcipua curâ ærarij,

IO. PASSERATIVS, S. D.



RATIVNCVLAM *de Cæcitate, quam nuper habui, tibi mitto, donóque; dignum meâ, non tuâ fortunâ, munusculum. Sed vereor, quæ cæcitatis impudentia est, ne te flagitet quod vix rogare audeo: efficias auctoritate tua & gratia, quâ meritò potes plurimum, vt quod mihi de pensione & liberalitate regia debetur, citò à Quæstore numeretur, quo anagnosten alere valeam Cæco necessarium, & studiosæ iuuentuti profuturum. Perge,* Vir clarissime, *de Passeratio bene mereri, & beneficij erga me tui magnitudinem inde æstima, quòd, hoc impetrato, Cæcus licèt, tibi sum oculos debiturus. Vale. Lutetiæ* Pari*siorum, ex Academia & Bibliotheca regia.*

IOAN. PASSERATII ELOquentiæ Professoris & Interpretis Regij, de Cæcitate Oratio.



RÆTER spem meam, & opinionem vestram, quòd huc, longissimo interuallo, & quasi postliminio fati, nunc reuertor, Auditores, nolim existimetis id à me factum, vt ex amplissimo, & ornatissimo ad dicendum loco, meas apud vos querar fortunas, & oculorum defleam orbitatem. Scio vos Machaonas & Podalirios non esse, nec à vobis consilium & auxilium, sicut nec ab aliis alloquium & miserationem exspecto. Huius calamitatis, si est appellanda calamitas, vnicum & certum remedium animus æquus, quem, Dei optimi maximi benignitate, mihi comparaui: præsertim admonitus ab aurea Euripidis sententia: quam, cùm ille Athenis Orestem fabulam doceret, Socrates dicitur reuocasse, adeò philosophica visa est philosophiæ parenti:

Cic. in 4. Tusc.

Οὐκ

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν, ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,
Οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος.
Ης οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Eam ſententiam, apud M. Tullium, *in quarta diſputatione Tuſculana*, vetus Poëta vertit barbarè (falsò putauit Muretus Ciceronis eſſe verſus, cùm ſint Pacuuij: qui, more ac jure ſuo, paulò liberiùs, Euripideos ita reddidit:) Ca. 16. l. ar. 8. leß.

Neque tam terribilis vlla fando oratio eſt:
Neque ſors, neque ira cælitum inuectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat.

Prorſus aurea, vt antè dixi, γνώμη, & digna quæ imis reponatur ſenſibus: ideóque à præſtantiſſimis auctoribus valde celebrata. Vſurpat hanc Romani voluptas theatri, Muſarúmque deliciæ Plautus, in Captiuis:

Dij immortales id voluerunt, vos hanc ærumnam exſequi. Sc. Dij immor.
Decet id pati animo æquo: ſi id facietis, leuior labos erit.

Vtitur & Horatius, ad mulcendam Virgilij ſui ægritudinem:

Varum mœrentis, Vari de morte dolentis
Inſolabiliter.

X

Horatij in ep. 14. l. 1.

Durum (inquit) *sed leuius fit patientia,*
Quicquid corrigere est nefas.

Quod scitè veréque dictum amico & sodali eius Maroni, tantopere placuit, vt carmini diuino intexeret:

Aen. 5.

Tum senior Nautes, vnum Tritonia Pallas
Quem docuit, multáque insignem reddidit arte,
Hæc responsa dabat: vel quæ portenderit ira
Magna Deûm, *vel quæ fatorum posceret ordo.*
Isque his Aenean solatus vocibus infit:
Nate deâ, quò fata trahunt, retrahúntque, sequamur.
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Quoties igitur occurret ista mihi cogitatio, Τύφλωσίς ἐστι ξυμφορὰ θεήλατος. faxo & huius continuò veniat in mentem, Τύφλωσίς ἐστιν ἀνθρώπινον κακόν. Infortunium, & dirum quidem infortunium, est cæcitas: humanum tamen: & humana omnia homini humanè ferenda sunt. Huc accedit, quòd sic iubet necessitas, cum qua nec superi nec inferi pugnauerint. Præterea, minuit dolorem quòd malum nec re-

pentinum est, nec antè non prouisum:

--- non vlla laborum
Nunc primùm noua mî facies, inopináve surgit. Aeneid. 6.
Omnia percepi, atque animo mecum antè peregi.

Quid quod istuc mihi commune est cum plurimis? Non longè abiero. Sunt in hac vrbe Quindeni viceni (vulgus ita loquitur, & trecentos dicere religio est) quibus idem quod mihi obtigit, vt errent inter Orcum & solem: nec eorum quemquam περιαχεῖν, aut ejulare muliebriter audimus, nisi quatenus opem & præsidium vitæ suæ ab hominum misericordia petit. At miserum est oculis non vti. Imò vereor ne me superbùm potiùs quàm miserum nonnulli existiment, quos salutatus, vt ferè cæcis euenit, non resalutauero. Equidem malum id & miserum arbitrari minimè decet quod in vim, numen & majestatem deorum cadit. Cæcitas, inquam, tam diuinum bonum est quàm humanum malum. Quid Amore inter deos hominésque majus? quid diuinius? quid augustius? Is & cæcus est, & cæcos omnes efficit quibus imperat. Mihi non credite locupletissimo testi, & cultissi-

mo poëtæ Menandro.

Apud Stobæū in Menand. sent.

--- Τόδ' ἐρᾷν
Ἐπισκοτεῖ, ἔοικε, καὶ τοῖς εὐλόγως, καὶ τοῖς
καλῶς ἔχουσιν.

Aristoph. in Pluto. & Plato in Lys.

Cæcus est diuitiarum deus Plutus, quem ante Iouē, atque adeò ante Bonam Mentem, maxima pars hominū colit: meritóque cæcus, cùm vt talpa in terræ visceribus nascatur, alatur, & adolescat. Cæca nominantur ab Alcæo Venusino fata, quorum omnia reguntur arbitrio: & cæca rerum humanarum domina, ac regina, Fortuna: *quæ sola*, vt Plinius ait, *in tota ratione mortalium vtrámque paginam facit.* Quare misera nullo modo est Cæcitas, quæ cælesti diuinæque naturæ conuenit, & cui estis obnoxia,

Horat. od. 13. l. 1. C. 7. l. 2.

--- *vos, ô clarissima mundi*
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum.

Virg. l. 1. Geor.

Estis profectò cæcitati obnoxia, vel nequicquam stupemus

Defectus solis varios, lunæque labores.

Lib. 2. Georg.

Et quisquam indignetur oculis suis accidisse, quod æternis, & omni-tuentibus mundi oculis, certis temporibus, interjectu interpositúque terræ, necesse est euenire? Sit horribilis cæcitas imperitæ mul-

titudini, certè nõ erit ſapientiæ ſtudioſis, qui vel vltrò ſibi adſciuerunt. Memorare libet quæ de phyſico Democrito refert apud Gellium Statius Cæcilius, Latinæ princeps Comœdiæ, ſi Saſernatem & Afrum excipias. C.17 l. 10. Plautũ & Terẽtium.

Democritus Abderites, phyſicus philoſophus, clypeum
Conſtituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere vt poſſet ſplendore æreo: ita radijs
Solis aciem effodit luminis, malis bene
Eſſe ne videret ciuibus: ſic ego
Fulgentis ſplendore pecuniæ volo
Elucificare exitum ætatis meæ,
Ne in re bona videam eſſe nequam filium.

Satius eſſe tunc cenſuit Democritus oculis orbari, quàm opibus & gratiâ florentes improbos cernere. Nunc autem, vt ſunt tempora & mores, quibus eſt bene, niſi malis? Quàm optanda viris bonis, ſuperiore decennio, cæcitas fuit, ne ſpectare cogeretur ea quæ etiámnum animus horret refugítque meminiſſe? Sæpenumero præſtat nihil omnino videre, quàm multa videre quę nolis: & cẽties acerbior eſt qui

oculis hauritur dolor, quàm qui aliis percipitur sensibus. Hinc existunt frequentes apud poëtas miserorum querelæ: vt,

Infandum, regina, jubes renouare dolorem,
Trojanas vt opes, & lamentabile regnum,
Eruerint Danaï: quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Item:
Vidi Hecubam, centúmque nurus, Priamúmque per aras
Sanguine fœdantem quos ipse sacrauerat ignes.

Quæ sumpta sunt ex Hecuba, vel Andromacha Ennii,

Cicer. 1 Tusc. *O pater, ô Priami domus!* & quæ sequuntur. Mox,
Hæc omnia vidi inflammari:
Priamo vi vitam euitari:
Iouis aram sanguine turpari.

Miserabiles anapæsti, præcipuè cùm funduntur ad tibiam! nec minùs flebiles hi senarii,

Ibid. *Vidi, videre quod me passa ægerrimè,*
Hectorem curru quadrijugo raptarier.

Poëtas commemoro: quid oratores?

Lapidi silici mediusfidius lacrymas excuterent hæc Tulliana in defensione Cælii: *Vidi enim, vidi, & illum hausi dolorem, vel acerbissimum in vita, cùm Q. Metellus abstraheretur'e sinu gremióque patriæ.* Caret igitur acerbissimo dolore cæcitas: & si rem suis momentis ponderare volumus, nihil habet quod de fortuna sua magnopere conqueratur. Itaque apud Ouidium Tiresias exprobranti cæcitatem Pentheo,

Quàm felix esses, si tu quoque luminis huius
Orbus, ait, fieres, ne Bacchica sacra videres! Metam 3.

Dicam quod magis miremini: si cæcitas merito suo malè audiet, vix iure quisquam nostrûm audiet bene: pluré sque in vita Oedipodæ quàm Lyncei reperiētur. Quàm multa homines non vident etiam quæ vident? Quàm multa quærunt quæ manibus tenent? & procul abesse credunt quæ iacent ante pedes? Propertium interrogemus. Dic, Sexte Aureli, de hoc genere cæcitatis in amantes testimonium:

Ante pedes cæcis lucebat semita nobis; El. 14. l. 1.
Scilicet insano nemo in amore videt.

Dic & tu Q. Enni, in aruſpices, augures, aſtrologos:

Quod eſt ante pedes nemo ſpectat, cæli ſcrutantur plagas.

Quantulũ differunt à cęcis qui dormiunt, dormitántve? qui cantherino ritu aſtantes ſomniant? qui aliud agunt? quorum animus peregrinatur? quos aliqua tranſverſos rapit quæ mentis luminibus officit perturbatio? vt amor, odium, lætitia, mœror, metus, cupiditas, pauor, pudor, iracundia, ebrietas? quarum rerum exempla in Comœdijs, vt in vitæ ſpeculo, licet intueri. Vno atque altero contenti ſimus exemplo. In Amphitruone Plauti, Amphitruo ipſe inquit Blepharoni:

Sc. Dij veſtrã fidem. A. *vbi illic ſceleſtus eſt?* B. *quis?* A. *Soſia.*
B. *Eccum illum.* A. *vbi?* B. *ante oculos: non vides?* A. *vix video præ ira: adeò me iſtic* Delirum fecit.

Sc. Quid hoc eſt n. In Aſinaria: *non hercle te præuideram: quæſo ne vitio vortas:*
Ita iracundia obſtitit oculis.

Sc. Hera eccũ. Addite, ſi vultis, tertium ex Milite glorioſo exemplum, vbi mulier amatrix, quæ militẽ ludos facit, naſo plus videre quàm oculis dicitur: ita illam excæcat Amor. Ne ſingulas perſequar vitæ partes, tota

vita mera cæcitas: & omnes mortales tam in ſuis quàm in alienis negocijs cæci: quod, tanquam per nebulam, ſi quis aduertat, nobis oſtendit. Virgilius in animorum natura deſcribenda:

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo *Aen.6.*
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreníque hebetant artus, moribundáque membra.
Hinc metuunt, cupiúntque: dolent, gaudéntque: nec auras
Reſpiciunt, clauſi tenebris, & carcere cæco.

Hæc plerique cùm legimus, nec legimus, operámque ludimus: niſi perſpicimus adumbrari vitæ caliginíſque humanæ imaginem: & à Virgilio hæc hauſta eſſe ex philoſophiæ fontibus. Tangit enim quatuor genera perturbationum, vnde animis noſtris oboriuntur & circumfunduntur tenebræ: quorum duo gignuntur ex opinione boni, totidem ex opinione mali. Ex opinione boni; vel præſentis, vt dolor: vel futuri, vt metus. Ago pinguiore Minerua, vt adoleſcentuli mentem doctiſſimi poëtæ aſſequantur, ſimúlque intelligant cur *in libro ſecundo de natura rerum* Lucretius exclamet,

O cæcas hominum mẽtes! ô pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantísque periclis,
Degitur hoc æui, quodcúmque est!

Nam si nemo viuit quin gaudeat, doleat, speret, metuat; quis, obsecro, non cæcus? aut cui glaucoma non obijciunt hi à ratione auersi motus, & affectiones mentis lumine carentes? Eminùs velitati, propiùs nunc congrediamur, manúmque conferamus. Vno certè vincemus argumento nos omnes, *Quicumque terræ munere vescimur*, cæcutire. Constat enim totam vitam iter cõtinuum esse ad mortem. Siquidem

Hor. od. 14. lib. 2.

Nascentes morimur, finísque ab origine pendet.

Man. li. 4.

Iter verò ad mortẽ, si Catullo credimus, est tenebricosũ, nec nisi clausis oculis itur

In hendec. Lugent.

Illuc, vnde negant redire quemquam.

Ibid.

Quod idem Virgilius innuit, cùm iter designat quod insistebant Æneas & Deiphobe tendentes ad Elysium,

Æn. 6.

Ibant obscuri, sola sub nocte, per vmbram.
Quale per incertam lunam, sub luce maligna,
Est iter in syluis, vbi cælum condidit vmbra

Iuppiter, & rebus nox abstulit atra colorem.

Quæ cùm ita sint; si mihi contigit esse cæco, nihil noui contigit: scilicet homini res humana, tolerabilis, peruagata. Multi dijs cari, & in primis Musarum alumni, cæci fuerunt:

Quíque pij vates, & Phœbo digna locuti. Aen.6.

Notum est de Anchisa,

--- Vnus quem pulchra dearum Ennius apud Probū.
Fari donauit diuinum pectus habere.

Vulgatum de Thamyra, Tiresia, Homero, Stesichoro, Antipatro, & aliis, quos longum sit recensere. Cæcitatis caussam grauiter, copiosè & ornatè Ciceronem egisse, me non latet: nec me verba Senecæ fugiunt eódem pertinentia. Tusc. 5. *Oculos perdidi. Habet & nox suas voluptates. Oculos perdidi. Quàm multis rebus carebis, quas ne videres vel eruendi erant? Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem? Huic oculi adulterium monstrant: huic incestum: huic domum quam concupiscat; huic vrbem, & mala omnia. Certè irritamenta sunt vitiorum, ducésque scelerum.* De remed. fort. Hæc Seneca: quibus adiūgere sexcenta poterit, qui in caussa tam facili disertus esse volet. Ego

paucis agere malo, & sic soleo mecum. Cæcus sum! Cæcus erat Appius Claudus, sine quo Pyrrhi bello, rei Romanæ offusa sempiterna nox esset. Cæcus sum! pauciores habiturus sum inimicos, inuidum neminem. Cęcus sum! præferam speciem viri boni: multíque me dignum existimabunt quicum in tenebris micent. Cæcus sum! Vnum me faciam beatiorum, & alienis vtar oculis; sicut alienis quoque auribus magni quondam Persarum reges. Cæcus sum! Augebit familiam meam cæcitas; &, vt dicebat Asclepiades, vno puero comitatior incedam. Sed bonos ipse libros ampliùs non legam: Dolebit hoc, fateor, & vehementer dolebit cordi meo: verùm est tanti non legere malos: ne bilem mihi moueant, & stomachum in eos erumpam, vt poëta Veronensis:

Xenophon. Plutarch. Cicer. 5. Tusc.

Catul. in Sextium.

Dÿ magni, horribilem, & sacrum libellum!
Non, non hoc tibi, salse, sic abibit.
Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Cæsios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena:
Ac te his supplicijs remunerabor.

Non legam pictas tabulas, nec legam

ſacra; & in carcere iuſſu magiſtratus non bibam Ophiuſam. Cæcus ſum! Tanto fortior. Minùs caſſas terriculas, laruas vmbratiles, & lemures nocturnos pertimeſcam. Non formidat periculum qui non videt: quia, vt Amor, ſic & timor, per oculos influit in animum: eáque de cauſſa leæna fœta, cùm pro catulis dimicat, oculorum aciem in terram defigit, ne venabula expaueſcat. Cæcus laudis, non probri nomen eſt: vnde præclarum & inſigne nomen Scipionum. Nam Cornelius ille, cui pater cæcus velut Scipioni baculóque innitens firmabat gradum, ſibi cognomen ex ea pietate & officio reperit: noménque ex cognomine poſteris tradidit, quo nullum euaſit inluſtrius. Antiquum illud chaos & rerum omnium principium, cæcitas fuit. Cæcitas philoſophos á Platone ad modeſtiam erudijt, cùm ἐποχὴν καὶ ἀκαταληψίαν induxit, vt eos ab aſſentiendi & affirmandi temeritate reuocaret. Cæcitas iudicibus perſuaſit vt in cauſſis maioribus pronuntiarent, *Non liquere*, & *Amplius quærendum eſſe*. Cæcitatem otio inertiæque meæ prætexam, cùm laboris & operæ tædebit: & ſi non dabitur in luce

Plin. c. 17. l. 24

Plin. c. 16. l. 8.

Macrob. c. 1. l. 1. Sat.

Academicos

Asconius.

Leonida. Cic. 1. Tusc.

versari, desidebo in vmbra; méque tutabor exemplo & responso ducis fortissimi, qui solem non visurus præ sagittarum multitudine, vt hostes minabantur, hoc se ἐρωνευόμενος consolatus est, quòd in vmbra pugnaturus esset. Cæcitas, vt in rebus cæteris molesta sit, hoc saltem iuuabit in literis, quod acuet industriam. Acriùs enim animus intendendus cæco, & diligentiùs erit excolenda memoria, quòd semper dicendum ex tempore, adempta facultate dicendi de scripto. Non postremum & hoc ad me perueniet ex cæcitate commodum, quod si quid deliquero, deliquero impunè: quis dicturus est diem cæco? Si quem incursauero; si quid offendero: si pede, si lingua, si mente titubauero, præsto erit patrona Cæcitas: Errauit, lapsus est, parum cauit, non vidit, cæco ignoscite. Si quem inter docendum Prisciano colaphum impegero, mihi nemo dicam scribet: & omnes stribiligines imputabuntur cæcitati. Quin & antiquis Grammaticorum σχήμασιν, accedet nouum σχῆμα. Τύφλωσις, καὶ ὀφθαλμία. Videte quo progrediar, nimiâ cæcitatis fiduciâ, cæcus alijs conor lumen accendere: & cui dux opus est

ambulanti, videntibus monstro viam. Heu doctorum inopiam! Heu solitudinem celeberrimæ quondam Academiæ! cuius me sanè magis quàm mei miseret; pudétque huius regiæ cathedræ, vbi res non ad triarios, vt est in vetere verbo, sed ad cæcos planè rediit. Valeant tamē querelæ; & habeatur potiùs cæcitati gratia, quæ me ad meliùs viuendum hortatur, ac penè cogit, mea voluntate, seriò philosophari. Nunc enim demum incipio vim veræ solidæque virtutis experiri, vt aduersus omnes minas impetúsque fortunæ præstare inuictam mentem possim, & ab argutis inanium quæstionum nugis, quibus miseræ scholæ personant, ad rectum animi cultum sapientiæ præcepta traducere.

Ioannis Passeratij, Trecensis, Eloquentiæ Professoris Regij, Orationum & Præfationum

FINIS.

IOANNIS PASSERATII, Eloquentiæ Professoris Regij Orationum & Præfationum

INDEX.

21—

